

Joſeph Menabuonj del. *Carol. Gregorj ſculp*

LUCERNAE FICTILES MUSEI PASSERII.



Io. Bapt. Passerius del. V. F. S.

SUMTIBUS
ACADEMIAE PISAURENSIS.

PISAURI; M. DCC. XXXIX.
IN AEDIBUS GAVELLIIS
SUPERIORUM PERMISSU.

D. Aloyſius Vanvitellius Romanus, SS. D. N. Architectus.

D. Franciſcus Montanus, Comes, & Patricius Piſaurenſis.

D. Joannes Hyacintus Taſſinius Marinenſis.

D. Joannes Baptiſta Marinius Feretranus, Plebis Caſtri Geniſteti, Piſaurenſis Dioeceſis Archipresbyter.

D. Franciſcus Maggius, Eques D. Stephani, & Florentinae Eccleſiae Metropolitanae Canonicus.

D. . . . . . . Agliata, Eques D. Stephani, Patricius Piſanus.

D. Pius Lodovicus Garellius Bononienſis, Eques, & S. C. M. Archiater.

D. . . . . . . Vinicellius S. C. M. a Secretis.

D. Raymundus Santinellius, ex Comitibus Oppidi Metulae, Patricius Piſaurenſis.

D. Joannes Franciſcus Ripantius, Patricius Aeſinas.

D. Joannes Gavardinius, Nobilis Piſaurenſis, & Sereniſſimae Annae Mariae Mediceae Viduae Electricis Palatinae per Regionem Metaurenſem Patrimonii Procurator.

D. Vincentius Baviera, Marchio, & Patricius Piſaurenſis, & Senogallienſis.

D. . . . . . . Foſcarinius, Patricius Venetus, apud SS. D. N. Orator.

D. Franciſcus Raſponus, Patricius Ravennas, SS. D. N. Praelatus Domeſticus.

D. Antonius Franciſcus Gorius, in Florentina Academia Hiſtoriarum Profeſſor.

P. Julius Santarellius Piſaurenſis, Ordinis Minimorum Ex-Provincialis.

D. Joannes Vincentius Capponius, Canonicus, & Patricius Florentinus.

D. Joannes Hieronymus de Pazziis, Eques D. Stephani, & Patricius Florentinus.

D. Carolus Spinula, Patricius Januenſis, SS. D. N. Praelatus Domeſticus, atque Apoſtolicae Camerae Clericus.

D. Antonius Cocchius Florentinus, Gazae Mediceae Praefectus.

D. Camillus Piombantius Florentinus.

D. Silvius Vicentinius, Eques Hieroſolymitanus.

D. Ignatius Cribellius, SS. D. N. Praelatus Domeſticus, & apud Sereniſſimum Coloniae Epiſcopum, & Electorem Oratorem.

D. Abas

D. Abbas Fabbronus, Patricius Piſtorienſis.

P. D. Deſiderius Ondedeus, Monachus Camaldulenſis.

PP. Praepoſiti Bibliothecae S. Dominici Bononienſis.

D. Paulus Olivazzius Mediolanenſis, SS. D. N. Praelatus Domeſticus.

D. . . . . Comes Giraud Romanus.

D. Praepoſitus Bibliotecae Imperialis Romae.

P. Ægidius a Piſauro M. O. R.

D. . . . . Archintus Patricius Mediolanenſis, Orator SS. Dñi N. ad Magnum Etruriae Ducem.

D. Marchio Locatellius Romanus.

D. Joſeph Maria Moricius, Patricius Firmanus.

D. Joannes Maria Dragonius J. C. Mediolanenſis.

D. Marcus Antonius Graſſius Patricius Romanus.

D. Carpius Corboli Aquilini, Patricius Urbinas.

DD. Thomas, & Nicolaus Pagliarini Romani pro Bibliotheca Lugduni Batavorum.

FINIS.

Piſauri

Piſauri Calend. April. 1739.

IMPRIMATUR.

Quoad Nos, ec.

Jo: Prior Geruntius Pro-Vic. Generalis.

CUM, de mandato admodum Reverendi Patris Magiſtri Archangeli Thomae Ciacchae Sanctae Inquiſitionis Vicarii, Librum, cui titulus, *Lucernae Fictiles Muſei Paſſerii*, aeneis figuris ornatum, viderim, atque attente legerim, nec quicquam in eo, quod Fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, invenerim, quinimo omnia ibidem contenta cum ſelectarum rerum copia, tum ſumma, ac peregrina eruditione, non ſine virili eloquentia, conſperſa, intellexerim, illum ſane dignum, ut Typis mandetur, exiſtimo.

Piſauri die 15. Aprilis 1739.

Franciſcus Maria Brigi
Ejuſdem Sanctae Inquiſitionis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Archangelus Thomas Ciacchi Magiſter, & Vic. S. Off.


ORDO.

ORDO
PROLEGOMENORUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Collectaneae Lucernarum veterum variae, & de illis judicium.*
III. *Lucernarum origo, & antiquitas.*
IV. *Lucernae apud Italos quando.*
V. *Illarum varia nomina.*
VI. *Partes earum praecipuae.*
VII. *Lucernae acceſſoria.*
VIII. *Officinae, in quibus formabantur.*
IX. *Illarum ſubſcriptiones.*
X. *Materia Lucernarum.*
XI. *Ratio Lucernas figurandi.*
XII. *Qua aetate figurari coeptae.*
XIII. *Lucernae ſacrae.*
XIV. *Feſtivae.*
XV. *Domeſticae.*
XVI. *Sepulcrales.*
XVII. *Ordo totius operis.*

FINIS.

JOANNIS



I·M·D V·F·S·

FRIDERICO
LANTIO DE RUVERE V. P.
ARCHIEPISCOPO PETRENSI
METAURENSIS PROVINCIAE
PRAESIDI

ACADEMIA PISAURENSIS.



Io·Bapt·Passerius del·pis·in m·pass· V·F·S·

Uam TIBI, atque univerſae literariae Reipublicae Academia noſtra obligaverat fidem, en ſolvimus, VIR PERFE-

CTISSIME. Superiori enim anno, quum eruditiſſimas TIBI Joſephi Averanii, in Piſano Lyceo Anteceſſoris, lectiones de CHRISTI Servatoris Paſſione offerremus, noſtras etiam lucubrationes tuo Nomini inſcriptas brevi in lucem nos emiſſuros praenunciavimus. Id nunc elegantiſſima, quam vides, veterum Lucernarum editione praeſtamus. Fortaſſe eruditorum hominum expectationem praevenimus; at votis certe noſtris vix fecimus ſatis; quid nanque optabilius eſſe nobis umquam potuit, quam exercitationum noſtrarum, quae tuo beneficio uberiores fructus in dies promittunt, partem aliquam cum Republica literaria communicare, tuorumque egregio-

rum

rum in nos meritorum, quorum certe memoriam nulla delebit oblivio, publicum aliquod teſtimonium dare? Neque vero praeclaras tuas laudes oratione perſequi in animo nobis eſt; ſatis enim illae conſtanti fama, atque omnium ſermone celebrantur; nam ita natura comparatum eſt, ut ea, ex quibus utilitas maxima percipitur, in ore omnium ſint, & ad caelum uſque extollantur. Et ſane quis tuam non extollit in adminiſtranda Republica ſolertiam? quae tanta eſt, ut paucorum annorum ſpatio, quibus TE Metaurenſi Provinciae CLEMENS XII. Pont. Max. praepoſuit, ſimultates Civium, partim occultas, partim apertas

non ſemel exſtinxeris ; iniquiſſimo tempore uberem comportato undique frumento annonam praeſtiteris ; extraneorum militum, qui hanc, proximaſque regiones occupaverant, licentiam repreſſeris ; peſtilentiam, quae armenta inficere, nec opinato, coeperat, magna cura, atque incredibili diligentia averteris ; vix ut tot, tantarumque calamitatum, quibus affecti fuimus, conqueri nunc jure poſſimus. Jam vero quantum illud eſt, quod a tuo congreſſu, colloquioque nemo minus TIBI *gratus abſcedat, ſive ea, quae petiit, a* TE *impetraverit, ſive repulſam tulerit ; facit hoc ſingularis tua comitas, affabilitaſque ſermonis, qua* TIBI *animos ho-*

mi-

minum quam maxime concilias. Quid? nonne mirantur omnes eximiam tuam liberalitatem, qua non cives modo, verum exteros etiam magnificentiſſime complecteris? Accedit demũ, veluti cumulus, quod laudatiſſimum hunc vitae curſum a teneris uſque unguiculis inſtitueris, & per omnes dignitatum gradus, perque ampliſſimam legationem Pontificio nomine apud potentiſſimum Gallorum Regem geſtam, ſancte, conſtanterque tenueris. Haec profecto ſunt, V. P., quae palam ante omnium occulos verſantur, atque aliis de TE ſumma cum gloria praedicanda relinquimus. At illud quidem, quod maximum inſtituti noſtri decus eſt, quandoquidem tuo ſub conſpectu, imo verius fa-

vore, atque praeſidio noſtra dudum jacens, ac pene intermortua ad lucem, vitamque revocata eſt Academia, ſilentio praeterire nec poſſumus, nec debemus; TE nempe admirabili quadam ingenii vi, atque incredibili celeritate de abditis quibuſque rebus, & ad puriorem humani, divinique juris diſciplinam pertinentibus extemplo accurate, ſubtiliterque diſſerere; ac, ne quid ornamenti deſit, mathematicis apprime cognitionibus illuſtrari, hiſtoriam callere omnem, in antiquitatis adyta penetrare. Neque vero in his tantis animi tui virtutibus conquieſcendum TIBI putas, V. P.; ſed, quum probe intelligas in eo ſitam eſſe ſolidam, veramque Principis

Vi-

Viri gloriam, ut optimarum artium vias civibus muniat, atque tueatur, non modo literarum ſtudia ſummis laudibus ornas, & proſequeris, eoſque, qui aliquid ingenii afferunt, quaeſitaeque labore doctrinae amiciſſime amplecteris; verum etiam lectiſſimam publico uſui parari bibliothecam annua ſtipe adſignata conſtituiſti; &, quod caput eſt, ut temporum haec felicitas poſteritati etiam propagetur, in partem, ſocietatemque curarum ſplendidiſſimi Ordinis opportune veniens, juventutis inſtitutioni, accerſitis optimis dicendi doctoribus, providentiſſime conſuluiſti. Quid multa? hoc ipſum veterum Lucernarum opus nonne munificentiae tuae unice ad-

ſcri-

ſcribendum eſt? nequaquam enim ope tua ſine, & auxilio publicam lucem adſpexiſſet; in quo ſi quid incrementi, ut confidimus, antiquaria res capiet, eruditi Viri TIBI *profecto acceptum referre debebunt.* TIBI *illud propterea non extraneum, ſed intra domeſticos tuos parietes, atque ipſos ante tuos occulos natum, atque altum, tenue ſane munus, devincti tamen animi, demiſſaeque obſervantiae noſtrae argumentum, offerimus,* V. P.; *quod ut hilari, laetaque fronte accipias, enixis votis rogamus, pariterque ut ſtudia noſtra, noſque ipſos ſolita benevolentia complectaris. Vale.*

CATA-

CATALOGUS EORUM, QUI SOCIETATI NOMEN DEDERUNT.

P. D. Virginius Valſechius Brixianus Congregationis Caſinenſis, Abbas Monaſterii Florentini, atque in Piſano Lyceo Sacrarum Literarum Profeſſor.

D. Annibal de Abatibus Oliverius, Patricius Piſaurenſis, & Engubinus, atque Academiae Piſaurenſis a Secretis perpetuo.

D. Joannes Baptiſta Grazia, Patricius Piſaurenſis.

D. Franciſcus Bonaminius, Patricius Piſaurenſis.

D. Dominicus Jordanius, Eques D. Stephani, Patricius Piſaurenſis.

D. Franciſcus Maria Brigius, Patricius Piſaurenſis.

D. Nicolaus Mancinfortius, Abbas, & Marchio, Patricius Anconitanus.

D. Dominicus Arduinius, Marchio, Patricius Piſaurenſis.

D. Lodovicus Carandinus, Comes, Patricius Piſaurenſis, & Mutinenſis, SS. D. N. Praelatus Domeſticus, & Reatinae Urbis Gubernator.

D. Cajetanus Elephantucius, Comes, Patricius Ravennas.

D. Fabritius Hondedeus, Comes, Patricius Piſaurenſis.

D. Guido de Gherardeſca, Comes Donoratici, Caſtaneeti, &c. Eques D. Stephani, Patricius Florentinus.

D. Apoſtolus Zenius, S. C. M. Poeta, & Hiſtoricus.

D. Octavius Bocchius, Nobilis Hadrienſis.

D. Ottolinus de Ottolinis, Comes, & Patricius Veronenſis.

D. Joannes Polenus, Marchio, atque in Patavino Lyceo Matheſeos Profeſſor.

D. Antonius Savorguanus, Marchio, ac Venetae Reipublicae Senator.

D. Antonius Niccolinius, Marchio, & Patricius Florentinus.

D. Aloyſius Cajetanus, Nobilis Panormitanus.

DD. Praepoſiti Bibliothecae SS. Mariae Salutis Venetiis.

D. Antonius Scottus, Comes, Canonicus, & Nobilis Tarviſinus.

P. D. Ferdinandus Guicciolius, Abbas Monaſterii Claſſenſis Ravennae.

D. Pe-

D. *Petrus Buccellius*, *Nobilis Politianus*.

D. . . . . . . *Pettoregius Florentinus*.

D. *Franciſcus Maria Belluttius*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Laurentius Paullius*, *Comes*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Joannes Franciſcus Mamianius a Ruvere*, *Comes*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Joannes Carnevalius Mutinenſis*.

D. *Alexander Faroldius Alberonius*, *SS. D. N. Praelatus Domeſticus*, & *Lauretanae Urbis Gubernator*.

D. *Cajetanus Centomannius*, *Abbas*, *Neapolitanus*.

DD. *Antonius Maria Hyeronimi*, & *Antonius Maria Alexandri Zanettii*, *Veneti*.

D. *Joſeph Smith Anglus*.

D. *Joannes Jacobus Rubinius*, *S. Piſaurenſis Eccleſiae Archidiaconus*.

D. *Petrus Cataneus*, *Canonicus*, & *Nobilis Piſaurenſis*.

D. *Joſeph de Almericis*, *Eques Hieroſolymitanus*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Hyacintus de Vinciolis*, *Patricius Peruſinus*.

D. *Marcellus Franciarinus*, *J. C.*, & *Patricius Eugubinus*.

D. *Roſſus de Ricciis*, *Canonicus*, & *Patricius Florentinus*.

D. *Joannes Pavoluccius*, *Marchio*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Opitius Mazza*, *Comes*, *Patricius Piſaurenſis*.

D. *Vincentius Mamianus de Ruvere*, *Comes Oppidi S. Angeli*, *Patricius Piſaurenſis*.

DD. *Praepoſiti Bibliothecae Publicae Eugubinae*.

D. *Joannes Geruntius Piſaurenſis*, *Prior Eccleſiae S. Caſſiani*.

D. *Scipio Maffejus*, *Marchio*, & *Patricius Veronenſis*, *Regiae Pariſienſis Academiae Inſcriptionum Socius*.

D. *Fr. Paulus Alferan*, *SS. D. N. Praelatus Domeſticus*, *atque Epiſcopus Melitenſis*.

D. *Fr. Ferdinandus Erneſtus*, *Liber Baro de Stadl*, *Eques Hieroſolymitanus*, *Bajulius*, *atque S. C. M. apud Melitenſis Ordinis Eminentiſſimum Magiſtrum Orator*.

D. *Fr. Melchior Alferan*, *Eques Hieroſolymitanus*, & *Prior Aquenſis*.

D. *Joannes Antonius Ciantar*, *Comes*.

D. *Aloy-*



JOANNIS BAPTISTAE PASSERII J. C. IN VETERES LUCERNAS PROLEGOMENA, ET NOTAE.

I.



UAE identidem ex agro Piſaurenſi eruuntur egregia antiquitatis monumenta, bonorum Civium ingenia ad ea illuſtranda vehementer invitant; nihil enim in illis videre eſt niſi nomina Majorum noſtrorum, & dignitates, leges inſuper, & mores patrios, quae omnia ita nobis cohaerent, ut quodammodo vitae noſtrae partem inſcriptam continere videantur. His aetatis noſtrae emolumentis reſpondit Vir pari nobilitate, & doctrina conſpicuus Annibal de Abatibus Oliverius Urbis noſtrae decus

 exi-

eximium, qui *Marmora Piſaurenſia* eruditiſſimo commentario pro rei majeſtate illuſtravit, & promulgavit. Dum vero V. Cl. omnia Patriae monumenta, qua ex autographis excepta, qua ex codicibus fide digniſſimis deſcripta integre edidiſſe crediderat; ſenſit tamen magna adhuc parte vel in ipſis privatorum domibus latere, quae publico quodammodo hujus libri praeconio excitata ſubinde prodierunt; crevitque numerus effoſſione plurimorum, detecto poſtmodum Luco ſacro Veterum Piſaurenſium, blandiente adeo fortuna temporum felicitati, ut jam noſtrorum Marmorum partem alteram mole, & eruditione aequalem Cl. Vir moliatur. At Ego Civis optimi, mihique ſemper amatiſſimi exemplo ſuccenſus, viribus licet longe impar, aliquid ſplendori patrio cumulare propoſueram; neque vero quidquam opportunius mihi occurrere viſum eſt, quam ſi Lucernas fictiles, quas ex agro Piſaurenſi defoſſas collegeram, in lucem proferrem. Quia vero ſolae Piſaurenſes vix unico volumini fuiſſent ſatis, placuit Coetus Academiae noſtrae Conſulto Lucernarum peregrinarum, quae in Muſaeo meo ſervantur, acceſſione opus augere, ut ejus magnitudo Majeſtati Patriae reſponderet, quippe qui probe ſenſeramus in ingenti hac Lucernarum ſerie totum fere corpus antiquitatis poſſe illuſtrari, neque ſemel amplificari. Has ego a prima uſque adoleſcentia Peruſiae primum biennio, dein quadriennio Romae ſummo ſtudio, atque conſtantia conquiſieram. Diuturnis deinde in Umbria, atque Piceno functus Praeturis, plurimas ex his undequaque collegi; omnium autem numerum ſuperarunt, quae proximis annis Amici optimi voti participes compararunt, inter quos merito memorandus eſt Antonius Rundula Civis Piſaurenſis utriuſque Juris auditor olim meus, nunc vero in Romana Curia cauſidicus, juvenis egregiae ſpei, cujus ope duplo fere ſeries iſta aucta eſt, ita ut ad millenarium numerum modo accedat.

I I.

SAne non defuere praeterito ſaeculo, qui veterum Lucernarum collectiones adornaverint, inter quos Licetus, & Bellorius praeſtiterunt. At primus totus eſt in mala cauſſa olei perpetui vindicanda, praeter quam quod recentia miſcet antiquis, & profert de theſauro ſuo nova, & vetera. Alterius vero tabulae alioqui admirandae venuſtatis non ſine reprehenſione ſunt. Quippe Bartolus illas non ex ipſis autographis, ſed ad fidem tumultuarii ſchematis exaravit, nec pauca, quae minus perſpicua forent, de ingenio ſupplevit, omniaque ad ſui characteris leporem efformavit, uti prototyporum, qui ad nos pervenerunt, collatione comperimus; utque ſemel Etruſcas urnas delineaverat, novi ſtyli pulchritudine captus Romanos milites, atque athletas ſemper Etruſco more calceavit. Gravius vero peccavit Bellorius in notis, qui nullas fere niſi ſepulcrales Lucernas agnovit, quo errore ſemel admiſſo, omnia penitus ſubverti neceſſe erat. Sed ii profecto excuſandi ſunt, nullibi enim hujuſcemodi reliquiarum collectio hactenus facta erat; neque ex illis, quae ſparſim, ac ſingulariter occurrebant, integrum rei judicium deduci potuerat. Si quid vero in hoc ſtudio prae caeteris profeci, minime quidem ingenio meo, quod ſentio quam ſit exiguum, ſed ingenti huic, atque domeſticae collectioni tribuendum eſt; in qua diuturna collatione, atque comparatione multa deprehendi, quae ſine hoc ſubſidio etiam Viros doctiſſimos latere oportebat.

I I I.

LUcernarum originem, ſicuti rerum fere omnium, fabulae nobilitant; nam ex Aegyptiorum traditione putarunt Graeci a Vulcano primum fabrefactas, Palladem indidiſſe oleum, Prometheum accendiſſe, ut infra indicabimus. Ergo ne Noe cum tota familia ultra annum incluſus in arca undequaque abſtruſus, atque picatus nocte perpetua caligavit? Profecto ii etiam, qui Lucernas

antea in uſu non fuiſſe contenderent, fateri cogerentur, Deo ipſo commonſtrante, a Noe tunc excogitatas fuiſſe. Neceſſitas ipſa argumento rei eſt. Fortaſſe illarum uſus apud filios Mitſraim perduravit, quos loci benignitas delicatiores effecit, praeſertim quum in Aegypto olei loco liquor quidam uſurparetur, quem *cicam* vocabant, ut tradit Diodor. Sic. lib. 11.; atque ita vera ſunt, quae tradiderunt Euſeb. *de Praepar. Evang.* x. 6. & D. Clem. Alex. *Strom.* 1., & Phylo Hebraeus, uſum nempe Lucernarum caeteros populos ab Aegyptiis didiciſſe.

I V.

QUa aetate in Italia uſurpari caeperint, difficile captu eſt, duobus tamen teſtimoniis admonemur illas minime fuiſſe antiquiſſimas, Plinii nempe, qui *libro* xv. *in princip.* ex auctoritate Feneſtellae docet ſub Tarquinio Priſco nullam in Italia oleam fuiſſe; & ne putemus peregrino oleo inſtrui conſueviſſe, ſuccedit Martialis auctoritas, qui lib. xiv. Epig. v. 39. illas penitus a priſcis Romanis excludit.

Nomina candelae nobis antiqua dederunt,
Non norat parcos uncta Lucerna Patres.

Candelae autem antiquiores paxilli aridi erant, quibus ſenſim foco admotis tantum luminis excitaretur, quantum rigidioris vitae uſus poſtulabat, excogitatis inde ſebaceis, & cereis, quas candelabris cultiori inſtitutione ſuffigerent. Nullae quoque in Romanorum antiquioribus ſepulcris Lucernae occurrunt, quod multiplici experimento comprobatum eſt.

De Lucernarum uſu apud Etruſcos quid proferam neſcio. Sepulcra Peruſina, & Tudertina Lucernam nullam exhibuerunt, nullamque Etruſcam Lucernam, quae Auguſti tempora ſuperet adhuc vidiſſe memini. At doctiſſimus Bonarotius illas in Etruſcis ſepulcris inveniri affirmat. Etiam Phaerecrates Athenienſis poeta, cujus auctoritatem adducit in libro: *Della nazione Etruſca, e degl' Itali Primitivi: libro primo p.* 1. *n.* 21. nuper vulgato,

Vir

Vir ſummus, cujus nomine ornari haec ſcripta glorior, Scipio Maphejus, Lucernam, quod perpulchra eſſet, Etruſcam appellat. Floruit Phaerecrates, ut tradit Svidas, ſub Alexandro M.; hinc arguere poſſumus, ante hujus quidem tempora apud Etruſcos Lucernarum uſum invaluiſſe, diu vero poſt Tarquinium Priſcum, ignoto adhuc olivae uſu in Italia. Puto igitur Lucernas in Thuſcorum ſepulcris inclinantis jam aevi monumenta eſſe, cum decem fere ſaeculorum ſpatio gentem illam floruiſſe docuerit idem Cl. Maphaejus.

V.

Lucernae varia nomina pro uſu, & diverſitate nactae ſunt. Fortaſſe antiquiſſima illarum apud nos appellatio lampas eſt, quae ab hebraeo לפד *Lapad* emanavit, unde Graeci ſuum λαμπαδα deſumpſerunt, quae vox Aegyptiis etiam communis fuit, quibus *Lampon* Saturni ſtella erat (Solem Voſſius interpraetatur), ut habet Chronicon Alexandrinum a ſplendore dicta, proprie vero latinis Lampades taedae, ſeu faces ſunt, unde Virg. VI.

...... *Et lampada quaſſans*,

rurſuſque libro IX.

Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,

uſus tamen obtinuit, ut ſub hoc nomine etiam Lucerna intelligeretur. Sic Juven. Sat. III.

...... *Et aenea lampas*,

quae ſignificatio praecipue invaluit apud ſcriptores ſequioris aevi; hinc illud Matthei c. 25. *Date nobis de Oleo veſtro, quia lampades noſtrae extinguuntur*. Puto tamen ſub lampadum nomine Lucernas penſiles, atque portatu commodas intellexiſſe, quarum plura exemplaria ſuppeditant nobis picturae caemeteriales apud Boſſium, & Arringhium; de quibus ſaepe Martyrum acta meminere. *Procedentibus Chriſti fidelibus cum facibus, & lampadibus*; ut apud eoſdem. Niſi forte ſub lampadum nomine hic *laternae* ſignificentur, ait enim Pollux Onomaſt. l. x. c. 26. *Quam vero nunc Lampada vocant, ea & Laterna dicitur*.

citur. Etiam a voce λυκη *lux* proceſſit *lycnus*, a latino vero *luceo*, ut tradit Varro IV. de ling. lat., eſt *Lucerna*. *Lycnuchus* quoque, ſed abuſive, appellata eſt, nam, ut infra demonſtrabimus, Lycnuchus Lucernae candelabrum eſt, *candela* vero eſt omne, quod ſplendet a חדק *chadac* ſplendere, ut placet Voſſ. *Ethymol.*. Quia vero antiquiſſimum Italorum luminare paxilli aridi fuerunt, obtinuit illos candelas appellari communicato inde nomine ſebaceis, ac caereis, quin etiam, & Lucernis, ita Pollux *loc. cit. Et candelabrum, cui candela, quae Lucerna dicta eſt, imponitur*. Legimus quoque ſaepius apud Anaſtaſ. Bibl. *Phanos*, & *Pharos cantharos*, ſed inter Latinos, nec auctorem habuit, neque imitatorem.

V I.

LUcernae partes praecipuae, inferne *crater*, ſuperne *diſcus*, in antica *naſus*, in poſtica *anſa*. Craterem plerumque illuſtrat officinae titulus, caeteroqui fere ſemper inornatus, & ſimplex. *Diſcus*, ut plurimum, concavus eſt, aliquando aequo lacunari, unde canaliculus in naſum influit, crebro incurvus, ſaepe emblematicus, ſaepius purus, ſemper vero *infundibulo* pervius ad oleum in craterem inſtillandum. Diſcum ambit *Limbus* ſuis etiam quandoque parergis decoratus, vel coronamentis, aut ſacris ramulis ex penu religionis, vel ex architecturae opibus maeandris, atque echinis. *Naſus* a ſimilitudine dicta eſt pars Lucernae productior, e qua lumen micat. Hinc ſternutare dicebatur Lucerna cum purgaretur. Macedon. in Antholog.

Jam Lucerna chariſſima ter ſternutaſti.

Hanc partem frequenter etiam graeco vocabulo *Myxum* appellabant a Μυξα, quae narium emunctio eſt; Jnde Martialis lib. XIV.

Jlluſtrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una Lucerna vocor.

Myxis vero *ellycnia*, ſive funiculi combuſtibiles inſerebantur. Modo ſtuppea, modo ſcirpea, de quibus Plin. l.

xxiii. c. 4., item ex amianto, & papyro, unde adhuc in Etruria *papilo* appellantur; hinc ab ipſa materia *Papyrus*, *ſtuppa*, *cycindela*, *phlogmus*, *triallis*. Huc pertinet *acus emunctorius*, de quo fit mentio ab auctore Moreti.

Admovet his pronam ſubmiſſa fronte Lucernam,
Et producit acu ſtuppas humore carentes.

Dependebat autem quandoque e Lucernae latere, ejus enim anſulam perforatam in nonnullis videre eſt. Specimen ejus damus in tabula praeliminari n. iii. In pleriſque vero exiguo cuidam foramini inter lycnum, & diſcum inſerebatur, ellycniumque, ne proflueret, continebat. Lycnorum in Lucernis numerus pro uſu arbitrarius fuit, multiplicato in his, quae ad majorem ſplendorem pararentur. In Aegyptiis vero, Haebraicis, atque Chriſtianis non ſine miſterio fuit. Anſae Lucernarum multiformes, & non ſine ſignificatione. Plerumque in gyrum abeunt interjecto foramine. Productiores ſunt in quibuſdam, ſcutulo triangulari ſuperaddito, ipſoque emblematico, ut firmius prehenſarentur, cubiculares praeſertim, atque domeſticae, quae profundiore diſco conteguntur, ne inter ambulandum, proſiliente ex infundibulo oleo, iſtud dilaberetur. Sunt quae manubrio penitus careant, Sacrae praecipue, & ſepulcrales, quae minus contrectari oporteret. Omnium ſimpliciſſimae, & magis obviae manubrio quidem carent, ſed poſtica earum pars quodammodo ſurſum repanda ita aſſurgit, ut foramine pervia claviculis recta immiſſis, ſuffigi conſueviſſe videatur, qualis eſt ea, quam protulimus loco citato n. i.. Penſiles, vel triplici anſula fulciuntur, vel unica, quae in diſci meditullio conſurgit.

VII.

INter acceſſoria Lucernarum fuerunt quandoque *operculi*, mobiles nempe clypeoli, qui diſcum ab ambiente pulvere cuſtodirent, e quibus unum tantum tot annorum ſpatio obtinere mihi datum eſt; unicum quidem exemplum, ſed quo doceamur caeteros periiſſe. Candelabra Lucernarum fulcra ſunt, quae in columellae modum aſ-

ſur-

ſurgebant. Quum ex creta conſtarent, unico opere Lucernae adherebant; aerea vero mobilibus Lucernis ſerviebant. *Eorum elatior pars, cui candela inſeritur ſcutella dicitur, vel lanx*. Verba Pollucis *loc. cit.* candelam autem pro Lucerna ſumptam fuiſſe ſupra indicavimus. Exemplar candelabri videre eſt in marmoreo anaglyph. mei muſei, quod tabulae praeliminari ſubjici curavi; alterius vero longe elegantiſſimi obſervari poteſt in Muſaeo Etruſco Cl. Gorii, quod per errorem Cortonae defoſſum indicatur, quippe in agro Tuderte repertum a Dominico Maſcio Praesbitero Peruſino Cortonam amandatum eſt, reclamantibus interim Tudertinis antiquitatibus, quas quum publicare inſtituerim, vindicandas fore duxi. Thymiamaterium fuiſſe credidit eximius Illuſtrator, at liceat ab Amico veritatis anquirendae cauſſa in aliqua re, modeſte diſſentire, ut ajebat doctiſſimus Salvinius. Omnia in illo candelabri partibus reſpondent, & moles ipſa uſui ſuffituum repugnat. Alterum non abſimile candelabrum nuper in ea Urbe ad D. Philippi repertum eſt, quod in ſelecto ornatiſſimi, atque mei amantiſſimi Franciſci Antonii Domitiani muſaeo aſſervatur. Lucernam vero, quae candelabro ſuperponebatur *ſtylbam* appellatam tradit Pollux. *Stylba, quae mihi noctu lumen facit ſuper candelabro*. Quae Vox metaphorica eſt, nam *Stylbon* Aegyptia lingua Mercurii ſtella eſt, ut tradit Martianus Capella lib. VIII., & Ariſtoteles *de Mundo*. *Lycnuchus* idem fere, ac candelabrum; nam λυχνουχος idem eſt ac λυχνοφορος *lycnum ferens*, pro miniſtro aeque, ac pro inſtrumento uſitatum. Talia propemodum erant in Alcinoi caenaculo aurea illa ſimulacra apud Homer. *Odiſſ.* H.

Aurei autem juvenes bene aedificatis in aris
Stabant ardentes Lampades in manibus tenentes
Praelucentes per noctes in domibus convivis.

latini vero *Lycnuchum* frequenter pro Lucerna uſurpant. Inter Lycnuchos computandi ſunt *obeliſcolycni*, oblonga nempe haſtilia, quae elatas Lucernas in uſum rei bellicae ſuſtinerent, horum meminit Teopompus Comicus in Pace. *Nos vero bona fortuna obeliſcolycnium permutavimus, & enſem*

enſem acutum. Horum reliquias eſſe puto aerea quaedam inſtrumenta, quae Peruſiae in Muſaeo Montemellinio, & Politiani in Muſaeo Buccellio obſervantur. Circulus eſt, quem unci undique ambiunt ad corneam laternam, ut puto, continendam. Inferne radius proſilit, qui in circuli centro annulum continet, in quo Lucernae axiculus figeretur. Buccula e latere haſtili ſuffigebatur. Lucernis ſacris inter ſacrificandum acceſſere *cerni*, crateres, inquam, in quibus Lucernae diſponerentur, ut ex Nicandri Scholiaſte *in Alexiph.* refert Argol. in Panuin. de *Lud. Circenſ.* 11. Vocis origo ſatis antiqua eſt, nam Graecis κερνος vas figulinum eſt in ſacris Cybeles uſitatum; Cernophorium autem Polluci eſt ſaltationis genus, quod fictilibus vaſis manu elatis perageretur, fortaſſe a חרש cheres *Teſtaceus* unde graecum κεραμιον *fictile*. Lucernae aliquando acceſſit Laterna, theca plerumque cornea, qua lumen cuſtodiretur. Plaut. *in Amphit.*

Quo ambulas, tu qui Vulcanum concluſum in cornu geris?

aliquando aerea, imo & aurea. Martial. lib. XIV. ep. 16.

Dux laterna viae clauſis feror aurea flammis,
Et tuta eſt gremio parva Lucerna meo.

dicta autem non a *latendo*, ut putat Voſſius in *lateo*, ſed a graeco λαπτυρ, quod idem audit; Laternam fictilem unicam e C. Caeſtii pyramide erutam publicavit Bartolus inter ejus ſepulchri picturas.

VIII.

QUale fuerit fictilium Lucernarum opificium, ſine ingenti illarum collectione vix deprehendi potuiſſet. Omnium antiquiores, ex quibus tres ex agro Piſaurenſi erutas aſſervamus, longe differunt a Romanis, quippe ducta ad rotam argilla thoreumatico opere abſolutae ſunt. Exemplar alterius ex illis dedimus in tab. praelimin. n. 2. Romanae vero e typo gypſeo, ſive teſtaceo prodierunt. Typi iſti circa prototypum formabantur; Prototypi vero, praeſertim qui cultiores, & operoſiores eſſent, a *Figulis Sigillatoribus* produci ſolebant. Hujus officii notitiam debent Eruditi omnes ſolertiae praefati Antonii

Rundulae, qui multiplici veterum inſcriptionum ſerie Romae mihi comparata, inter ceteras hiſce ſtudiis opportuniſſimam hanc quoque tranſmittendam curavit,

D. ❦ M.
AGATOBOLUS. F. L. PYRRUS
FIGULUS. SIGILLATOR

quam inter peregrinas num. CLIV. recenſuit, atque exornavit Cl. Oliverius *Marm. Piſ.* Igitur ad hoc officium, quod circa artem ſigillariam, & omnia opera, quae picturae, atque ſculpturae ſubſidio indigebant, pertinuiſſe puto prototypos Lucernarum, in quarum nonnullis tanta eſt ſtili elegantia, ut non argillam, ſed gemmam aliquam ſibi propoſuiſſe excolendam artifices illi videantur. Omnia praeterea in illis apprime conſona ſunt cum Mythologiae legibus, & veteri fabularum traditione, moribus, ritibus, atque myſteriis, ut inde credamus vel ſcitiſſimos homines ad id officii fuiſſe adhibitos, vel nihil niſi de Sacerdotum ſententia publicaſſe, ne ſupellex tam late patens, & Religioni familiariſſima diſſonis a diſciplina formis corrumperetur. Animadverti inſuper eundem Lucernae typum ex pluribus figulinis prodiiſſe, ut diverſae ſubſcriptiones teſtabantur, unde argui poteſt primos archetypos, qui tot officinis communes fierent ex diſtincta aliqua taberna prodiiſſe, in qua venales proſtarent, ex qua figuli humiliores, qui artis ſigillariae rudes ſolam cretam tractabant, gypſeos typos proprio nomine inſcriptos compararent. Occurrunt tamen Lucernae plures adeo rudi Minerva exaratae, quae ipſius met plaſtes ſine ſigillatoris ſubſidio manum teſtantur, quae praeſertim quarto ineunte ſaeculo prodierunt, quum artium declinatio occaſum Urbis jam tum praenunciabat.

I X.

Uſum vero ſubſignandi Lucernas invexit ipſa laudis ambitio, nam ſigillato ſemel typo innumera teſtularum propagatione figuli nomen longe, lateque diffundebatur; acceſſerunt compendia lucri, quae ex laude operis figulo quaerebantur. Neutrum vitium condemnamus, qui ex ea diligentia praecipua lumina haurimus. Ad ſex fere claſſes ſubſcriptiones iſtae referri poſſunt. Ad primam referendae ſunt ſimplices ſiglae, ſeu notae quaedam, quae, quum officinae characteres eſſent, alioqui illa aetate notiſſimi, nominum vices ſupplebant; ex his frequentiores occurrunt pampinus, ſolea equina, pedum veſtigia, roſa, orbiculi, obelus, lunula, theta. Secunda claſſis continet nomina figulorum, aliquando ſimplicia, quandoque, & praenomini, & cognomini copulata, ut AQUILINI. CORDI. CL. LUPERCALIS. CAI MERC. A. COCC. FEL. C. LUC. MAU. Tertia nomina fundorum, ut in noſtris Piſaurenſibus ab eruditiſſimo Oliverio vulgatis. ACCIANA

P. SATRI. C. F.

CAM.

& in Peruſinis ARNE. in Romanis vero C. ICCI. VATIC. Quartae claſſi adſcribenda ſunt ipſa officinarum nomina, quae diutiſſime permanſiſſe conjici poteſt ex opificio ſaecula diverſa teſtante. Ad hanc ſpectant FLAVIA. D. E. D. N. DOMITIA DEDN. RODIA. BASSA. CANINIA, &c. quas quidem officinas vel a reſtitutione, vel a numero quandoque appellatas fuiſſe docent exempla C. OPPI. RESTIT. CAI. RESTIT. CLODI. RES. P. FABRICII. TERTIA. OPPI. QUARTA. Quintus ordo Patronorum nomina continet, aut Caeſarum, inter quorum officia lucernarios fictores fuiſſe infra monſtrabimus. Hujuſmodi ſunt ANTONINI. COMMODI. M. JUL. PHILIPPI. Διοκλιτ. MAXIM. e Patronis vero.

T I N D A R

P L O T. A U G.

L I B.

Ultimum genus Conſulatum monſtrat, ex quo unam tantum 111. M. Jul. Philippi Conſulatu, Millenario Urbis, memorabilem obtinuimus. Urbium nomina nunquam niſi in Chriſtianis occurrunt, in quibus breviariis notis quandoque *Romae*, in una tantum *Ravennae* nomen occurrit, niſi ARNE in Peruſina Urbis potius quam fundi titulum eſſe contendamus. Subſcriptiones iſtae quotquot ſunt minime in Lucernis ſingularibus impreſſas credimus quum prae argillae tenuitate preſſionem pati non potuiſſent, ſed ſigillato ſemel typo ſingulae ſignatae prodibant. Modus vero typi ſigilandi triplex a me animadverſus eſt. Quandoque ferreo currenti ſtilo ſcribentium more literae exaratae ſunt, quas ſuis locis ad amuſſim exprimi curabimus, quum nobis inde exemplum ſuggeratur vulgaris veterum, & curſivae ſcripturae. Aliquando non in archetypo, ſed in typo confixis literis ſcripturam extantem, & proſilientem in Lucernis exprimebant, quales fere ſunt Aretinae, & Cumanae canaliculo deſuper diſtinctae. Ut plurimum vero ſignato literis prototypo typus extantes, ſed inverſas literas retinebat, unde inciſae literae in lucernis formatae ſunt. Sicut vero ſcriptura haec non a figulis, ſed a ſigillatoribus imprimebatur, credibile eſt ipſos ad id operis minime ſolidis ſigillis uſos fuiſſe, ſed compactilibus literis illa pro oportunitate coagmentaſſe. Duplici argumento conjectura iſta firmatur, nam etiam una, & eadem figulina non ſemper eodem ſigillo uſa eſt. Exempla ſunt. CLO. SUC. C. CLO. SUC. CAI. CLO. SUC. L. CAE. SAE. L. CAEC. SAE. FLAVIA. D. E. D. N. FLAVIA. D. ET. DEI. N. FLAVIA. D. ET. D. N. FLAV. ICCI. ICCI. VATIC. C. ICCI. VATIC. C. ICCI. CICCI. & mille alia. Verum etiam cernere eſt in quibuſdam ex his ſubſcriptionibus literulas aliquas modo a linea ſubſilientes aliquando obliquatas, nec ſemel inverſas, nempe inconſtanti literarum ſerie, ex quibus ſignacula ipſa compacta erant, ut ſuis locis indicabimus; Quae quum ita ſint mirari non deſino, Veteres tam proxime typograficam artem attigiſse, imo illam adeo tenuiſse, ut integros ſen-

ſus

ſus ex compactilibus literis quandoque excuſserint, nec tamen ulterius fuiſse progreſsos; ut gloriam artis, quam primi Romani invenerant, Germania ſibi vindicaret.

X.

MAteria Lucernarum univerſa, fuſilis, coctilis, ſculptilis. Aeneas Lucernas in muſaeis frequentiſſime intuemur. Aureas, & argenteas legimus tantum apud ſcriptores. Immo & *candelabrum*, *& gemmis clariſſimis*, *& opere mirabili perfectum* audimus apud Cicer. *in Verrem*. Plumbeam unicam vidi Romae, ſed pene aevo corruptam. Inter coctiles primum locum obtinent vitreae. Unicam ex his eruditione praecipuam, licet minus integram, operi praefiximus. Fictiles omnium frequentiſſimas fecit materia ubique patens, & facilis apparatus; hinc teſtam pro Lucerna uſurpavit Virg. *Georg.* I.

...... teſta quum ardente videret
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

argillarum vero differentias optime notavit Jo: Smith in Epiſtola ad Enſium penes Licet lib. VI. cap. 92. *Materia, ut in aliis figlinis, ita in Lucernis quaequae non ejuſdem ordinis eſt. Aliae albicant, nonnullae cretaceae molliores, aliae argillaceae compactiores ſunt, aliae perpaucae tamen, caeruleae nigricantes. Plerunque omnes rubricant, aliquae ſuperficie tenus, aliae toto corpore, luto nempe, & argilla ipſa rubente, ſed in ipſis paucae ſaturi, plurimae obſcurioris, & fugientis coloris. Eſt quae affrictu ſuo tingit, ut creta, alia ut rubrica.* Ager Romanus albicantes plerunque protulit ex via Nomentana; quam e figulinarum multiplicitate figulenſem vocat, Livius *lib.* III. *Dec.* I. Argilla vero Vaticana, cujus *fragiles patellas* memorat Juven. *Satira* VI. non ſine decore ſubflaveſcit ſubſiſtente adhuc colore in ejus loci figulinis. His plerunque ad venuſtatem addita eſt *rubrica*, de qua meminit Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XII. quae dum ſincera encauſtice illiniretur, omnes aevi, & humiditatis injurias ſuperabat. Adulterina rubrica, ſive mavis tinctura taurino glutine illita mi-

minime reſiſtit, & lota decidit.

Plurimae ex his inter thermarum rudera repertae ſunt anno 1723. Foroſempronii, me tunc illius Civitatis Praefecto, quæ ut primum aqua purgarentur, rubricam diluebant. Cumanae ex argilla rubra compactæ ſunt, de qua meminit Martialis lib. 24. Ep. 107.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere textam
Municipem miſit caſta Sybilla ſuam.

Lucernae Aretinae, & Peruſinae ejuſdem coloris ſunt, plerumque tamen purae, ſemperque ſubſcriptae extantibus litteris. Has ex Ortographiae ratione, & forma litterarum, non ante Auguſti tempora extitiſſe credimus. Ager Piſaurenſis ſuas quoque Lucernas ſuppeditat ex Fundo Acciano rubrae, & candidae argillae feraciſſimo. Habuerunt Etruſci nigricantem cretam, ex qua omnes fere conſtant paterae, & catini in eorum ſepulcris frequentiſſimi. Hujus argillae venam in agro Urbevetano reperiri tradit Bonarrotus ad Dempſter, quam tamen ab accolis fruſtra conquiſitam inter deperdita computamus; Argilla enim in agro Urbevetano nigricans obvia eſt etiam in agro Piſaurenſi, præſertim vero in ſuburbano meo Roncallienſi, ubi hæc ſcribo, ſed igni admota, penitus excandeſcit, uti experimento facto comperi. Nigrum vero argillae colorem iidem Etruſci encauſtico atramento imitati ſunt, ex quibus fere conſtant inſignia eorum vaſa, inſuper & Lucernae quaedam, quas tamen ad Romana tempora referendas puto. Lucernam Aegyptiam unam ex terra nigra produxit Licetus. Geminas paris materiae & nos ſuo loco proferemus. Fortaſsé Phoenicii argillam ſuam nigricantem habuerunt. In Veterum ſepulchris, quæ paſſim per hanc noſtram Senoniæ provinciam effodiuntur libatoria quædam vaſa occurrunt plerumque ferrei coloris, quorum plena ſunt Muſaea Piſaurenſia Arditium, Paullium, & meum. Plura ex his in Oppido Sancti Conſtantii quinto a Senogallia lapide comparavi, quæ quum inter Etruſca ſemper computaſſem, tandem animadverti eſſe adventitia. Quippe in uno ex his ignotos quoſdam characteres obſervavi, quorum genus

nus profecto ignoraſſem, niſi alterum iiſdem characteribus obſignatum vaſculum, prolixiore tamen linea, doctiſſimus Lupius promulgaſſet ex Muſaeo Panormitano Societatis Jeſu in ejus *ad titulum Sanctæ Severæ* comentario; unde vehementer ſuſpicor, vaſa iſta, quæ in hac regione èffodiuntur e Phoenicia afferri conſueviſſe; praeſertim quum a modulis Italicis omnino differant, Lucernam vero nullam in hiſce ſepulchris, in quibus hæc vaſa occurrunt, invenire datum eſt haud dubio indicio remotiſſimae antiquitatis. Praeter fictiles Lucernas docemur fuiſſe etiam marmoreas ex Plin. l. XXXVI. cap. 5. *Candido marmore uſi ſunt e Paro Inſula, quem lapidem coepere Lychnium appellare, quoniam ad Lucernas in cuniculis caederetur, ut auctor eſt Varro.*

X I.

PLacuit vero Lucernas exornari, ut quidquid prae manibus habendum eſset, vel religionis imaginem aliquam èxcitaret, vel veterem hiſtoriam repraeſentaret, & nihil eſset ſine documento. Hinc ſtudium univerſae ſupellectilis ſigillandae, & luxus vaſculorum, quibus non eſset gratia niſi emblematicis. Quin etiam tegulae, & lateres ex area caeramica non ſine ſymbolis, & epigraphe prodierunt, quibus teſtimoniis fictilia Piſaurenſia, etiam terra marique tranſuecta per Aemiliam, atque Picenum indubitanter recognoſcimus. Inde arguere fas eſt quanta foret eorum temporum & civilis cultura, & morum elegantia, praeſertim vero providentia futuri, quum nihil inornatum, & ſine inſtructione tractaretur; nihil demum tranſmitteretur poſteris, quod hiſtoriae vicem non ſuppleret. Potiſſimum vero inter cetera Lucernis cultus iſte congruebat, quippe quae & uſu, & dignitate in toto opere caeramico primum locum obtinebant; illae enim & ſacris myſteriis intererant, laetitiaeque cum publicae tum privatae adminiſtrae erant, nocturna hominum ſtudia confovebant, defunctos demum ſequebantur in funere, conſciae ſomni aeternalis, & ſociae ſepulturae. Propterea

non

non eſt cur miremur tantam in illis ſignandis curam adhibitam, ut nihil temere in iis obrepſerit, neque fruſtra profundiora mythologiae arcana in ipſis meditamur, quum ad integram hominum vitam participandam formarentur. Hinc profecto patet quanti deinceps facienda ſit claſſis iſta monumentorum, quae tantam eruditionis frugem praeſeferat, ut vel ipſa una totam antiquitatis ſcientiam, ſi cetera cuncta deeſſent, poſſe reſtaurare videatur.

XII.

LUcernas antiquiores ſine ullo ornatu obſervavimus; nondum ſculpturae luxu ad omnia evulgato. Quae vero aevo Auguſteo formatae ſunt, ſubſcriptione tantum commendantur, ceterae inornatae. Anaglypha, quotquot ſunt Auguſto poſteriora, incunctanter dijudicamus. Subſcripta Caeſarum nomina, ſpectacula item ac pompae, quas ſcimus ſub ipſis celebratas, peregrini ritus, qui nonniſi ſero invecti ſunt, denique ceterarum cum iſtis, & moduli, & ſtili ſimilitudo, identitas officinae, eadem parerga eodem prorſus ſignaculo in pluribus impreſſa, ipſe denique color, & mille hujuſmodi argumenta ſententiam noſtram confirmant. Ipſe quoque modus artificii temporum inclinationem imitatur, luxuriat quippe in officinis Flaviorum, & Antoninorum, decreſcit ſub Philippis, & nullus jam decor eſt in Maximianeis. Quidquid ſubſequitur occupat claſſis Chriſtianarum, de qua peculiaribus prolegomenis ultimo operis tomo agendum erit. Quapropter ſi aetatem perpendamus, qua Lucernae figurari conſueverunt, non ultra tria ſaecula Romae conſtitiſſe arguemus.

XIII.

LUcernæ quatuor primariis uſibus reſponderunt, *Sacro*, *Publico*, *Domeſtico*, *Sepulcrali*. Lucernas in templis ſacras, & in pleriſque ſacrificiis Scriptores frequenter memorant. Pol. lib. 34. c. 3. *Placuere*, *&* *lyeunuchi*

pen-

penſiles in delubris, *aut arborum modo mala ferentium lucentes*, *qualis eſt in templo Apollinis Palatini*, *quem Alexander M. in Thebarum expugnatione captum in Cyme dedicaverat eidem Deo. Tranſiit deinde ars ubique locorum vulgo ad effigies Deorum*. Juvenalis quoque Jovis, & Larium ſacra commemorans *Sat.* 12.

Cuncta nitent, *longos erexit Janua ramos*;
Et matutinis operitur feſta lucernis.

& Senec. de Vit. Beat. cap. 27. *Laurum linteatus ſenex*, *& medio lucernam die proferens*. Inter Eccleſiae Patres D. Hieron. in Iſaiam cap. 16. *Tutelae ſimulacrum cereis venerans*, *& lucernis*. Tertullianus etiam frequenter in *Apologet.* & alii paſſim. Lucernam pariter ex auro per annum ardentem in templo Palladis obſervavit Pauſan. lib. 1. Plurimas ex iis cum inſcripta dedicatione videre eſt apud Licetum, & Bartolum aereas omnes, nec defuere fictiles ſimili epigraphe inſignes, quales eae, quae proximis annis ex agro Tudertino erutae ſunt inter rudera templi *Herculis Azonii*, quem celeberrimum fuiſſe donaria ibi reperta teſtata ſunt. Votiva in Templis munera Lucernarum memorant ſimiliter plura marmora, inter quae Gruterianum p. lxxvii. n. 3. Immo a lampadum accenſione plura apud veteres feſta denominata ſunt, ut ea, quae in Promethei, Vulcani, & Minervae honorem inſtituta erant quae λαμπας vocabantur, ut ex Scholiaſte Ariſtophanis *in Ranis*. Λαμπτηρια quoque vindemiis exactis continuis luminaribus in honorem Bacchi peragebantur, ut tradit Pauſ. *in Arcadic.*, qui inde Bacchum *Lampterium* vocatum dicit, dictum etiam *Lichniten*, qualem vocat Orpheus *in ejus hymno*, cujus nominis ethimon confirmat quoque Plutarc. *de Iſide*, *& Oſiride*. Occurrunt praeterea apud Scriptores feſta alia, quae a multiplici lampadum accenſione λαμπιδουχος ημερα, λαμπροφορια & λαμπαδοφορια vocabantur. Quin & Aegyptiis fuit ſua λυχνοκαυτια accenſis ſtata die per totam Aegyptum Lucernis, ut narrat Herodot. *Lib.* 11. Nec vero ab iſtis moribus Romani noſtri abſtinuerunt adſcitis nocturnis Eleuſinis, & Bacchanalibus. Ad haec poſtrema pertinere puto obvium illud Lucernarum genus,

in quarum diſco corona pampinea obſervatur, additis in quibuſdam geminis tigribus ad cantharum potantibus, ex quibus fere quinquaginta oſtenduntur in meo Muſeo. Has ad aream Bacchanalem, quae ad D. Agnetis etiam nunc reſtat, illuminandam adhibitas eſſe puto, ceteraque hujuſmodi impietatum theatra, quae multa Romae erant. Nec feſta tantum a Lucernis denominata puto, ſed pleraque etiam loca Religionis. Mitto lucos, quos a luce dictos nonnulli autumarunt, melius enim ethimon ejus vocis prodidit Oliverius meus in ſuo de Luco ſacro veterum Piſaurenſium libro, propediem edituro. Fanum certe a φανος *ſplendidus, & lucens* dicitur a φανη *illuxit*, unde *Phaeton* Sol vocatus eſt in ſamothracum myſteriis, & in Homeri hymno in Solem. Delubrum quoque, niſi valde erro, non a diluendo dictum eſt, ſed a δαλος antiquato apud Graecos verbo, quo *Lucernam* ſignificabant; quo tamen Orpheus in hymno Noctis uſus eſt, Νυκτος θυμιαμα δαλος, *Noctis thymiama Lucernae*; δαλος vero omnino eſt a דלק *dalach* accendere. Sicuti vero a candela candelabrum dictum eſt, ita a *Dalis* Delubrum, quod in eo *Dali* reponerentur. Dali vero apud Latinos ſunt ipſae veterum candelae, ſive paxilli ardentes, qui Lucernae vicem ante uſum olei obtinebant, ut auctor eſt Papias apud Onomaſticon Laurentianum, converſa inde A in E, quod in dialecto Jonico frequenter obſervatur. Uſum denique Lucernarum in veterum ſacrificiis evincit Lex 12. *Cod.* de *Paganor. ſacrif. Nullus omnino ex quolibet genere, ordine, & caetu ſecretiore piaculo Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat*. Conſtat igitur ſacras Lucernas frequentiſſimas fuiſſe apud antiquos. Sed quonam pacto a ceteris diſtinguantur definire non audeo. Certe cum uſus invaluerit *Tutelas lucernis venerari*, ut ait D. Hieronymus, nempe privatis laribus Lucernas accendere, placuit Deorum imagines ipſis lucernis imprimere, ut eaedem & ſimulacri vicem, & ignis ſacri modico apparatu fungerentur. Diu dubitavi poſſent ne inter ſepulcrales cenſeri, quae Deorum imagines referunt, quum iſtas ab horrore funerum inviolatas eſſe voluerint, ut il-

las,

las, ne funeris aſpectu polluerentur, operire conſueverint; & nefas fuerit Pontifices cadaver aſpicere, funereaſque tybias audire. Uſus tamen contrarium docuit, quum deorum imagines quandoque in ſarcophagis inſculptae reperiantur, unde admonemur vel diſciplinam illam non diu manſiſſe, vel peregrinis moribus immutatam. Inter ſacras Lucernas referendae ſunt *Augurales*; ex quarum flammulis auſpicia captari ſolebant. Includebantur haec ſtabili cuidam *Laternae*, in qua pateret antrorſum feneſtra, ſuperne vero verſatili cratere tegeretur. De hac Plutarc. *quaeſt.* 72. *Quum Augurum, quos ante Haruſpices vocabant laternas ſemper eſſe apertas voluerunt, atque operculo nunquam tegi*. Ejus effigies, fortaſſe adhuc ignota, patet ex marmoreo anaglypho mei Muſei, recens eruto Piſauri in Cella Vinaria Marini Ciacchae, quod rei antiquariae incremento in praeliminari tabula excudendum curavimus. In eo quippe duo ſingulariter ad rem lucernariam conferunt, *laterna* auguralis aediculae, quam columnae ſuffulciunt, incluſa, & candelabrum ex praelongo haſtili compactum, cui Lucerna (*ſtilba*) ſuperlucet; utrumque vero una cum cane ululante ad diſciplinam auguralem pertinet. Inſigne hoc monumentum ad Augurum collegium pertinuit quod auguratorium vocabant ut ex Doniana inſcriptione *claſſ.* v. 145. & Reineſ. *claſſ.* vi. 35.

X I V.

FEſtivas Lucernas nemo fortaſſe recentiorum obſervavit, quum alioqui major Lucernarum pars ad hoc genus pertineat; quantas enim ex illis unica tantum vice paratas credamus, quum theatra amphitheatra, templa, fora, viae, januae, feneſtrae denique omnes innumerae Urbis illuminatae ſunt; & quidem celebritas toties recurrebat quum felix Reipublicae eventus laetitiam publicaret. Teſtimonia, quae e ſcriptoribus excerpſimus ad hunc uſum comprobandum ſucceſſiva plurium ſaeculorum conſuetudine non erit abs re coram afferre. Ait Plutarc. *in Cicerone* poſt profligatam Catilinae conjuratio-

nem Patrem Patriae appellatum, qua oportunitate; *viae crebris lampadibus, atque facibus, quas accenderant prae foribus collucebant*. Refert etiam Sveton. in Caeſare aſcendiſſe eum Capitolium *ad lumina*, quadraginta elephantis *lychnuchos* geſtantibus. Tradit quoque Dio Neronis reditu laetitiae, & honoris cauſſa *Urbem repletam fuiſſe Lucernis, & feſta fronde, nec non ſuffitibus*. Et Xiphilin. l. XXXXIII. *Nero aſcendit in Capitolium tota Urbe coronata, lychniſque plena*. De Domitiano haec habet idem Sveton. c. 4. *Venationes, gladiatoreſque, & noctibus ad lychnos, nec virorum modo pugnas, ſed & feminarum aedidit*. Thermas etiam illas *in modum Provinciarum extructas*, ut ait Tertul., quandoque illuminatas recenſet Lamprid. *in Alex. Sever.* 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante auroram paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur*. Luxum publicarum circa eadem tempora illuminationum ſaepe carpit Tertul. in Apologetico. *Cur die laeto non laureis poſtes obumbramus, nec Lucernis diem infringimus... Quam elatiſſimis, & clariſſimis Lucernis veſtibula obnubilabant*. Et ad Uxorem. *At nunc luceant tabernae, & januae noſtrae... Procedit Mulier de janua lucernata, & laureata*. Sub M. Julio Philippo tribus continuis diebus, ac noctibus Millenarium Urbis celebratum eſt tanto Lucernarum apparatu, ut *dies nunquam deficere videretur, aequato per noctem Lucernarum ope ſplendore ſolis*, ut ſcribit Capitolinus. Immo ex multitudine Lucernarum theatrum Pompeii ea occaſione conflagraſse affirmant. Superſtites adhuc Lucernae, quae M. Julii Philippi nomine, & III. Conſulatu ſignatae ſunt, verba Capitolini confirmant; plurima enim & ſacra, & ſpectacula, quae ea occaſione celebrata ſunt, in eis referuntur. In publicis iſtis ſolemniis ad numerum Lucernarum continendum non ſatis viſae ſunt aedes Urbis, mutuato a Graecis invento ſolidarum *arborum* erigendarum, unde pomorum vice Lucernae dependerent. Hujuſmodi aeream arborem memorat Athen. lib. XV. 19. extitiſſe in Curia Tarentina a Dionyſio juniore dedicatam, *cui tot Lampades eſſent, quae dierum anni numerum aequarent*. Alteram ſimilem in tem-

plo

plo Apollinis Palatini narrat Plinius l. XXXIV. c. 3. ſupra memoratus, ad cujus ſimilitúdinem aliae Romae fieri conſueviſſe ſubdit. Harum arborum meminit Martial. l. x. Ep. 6.

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta feneſtra nuru?

& Prudent. *contr. Symac.* l. II.

Et quae fumificas arbor vittata Lucernas
Suſtinuit, cadit ultrici ſucciſa bipenni.

qui tamen fortaſſe de ſacris intellexit. Lucernae iſtae feſtivae facili negotio a ceteris dignoſcuntur, vel ab ipſis met ſymbolis publicae letitiae reſpondentibus, vel etiam ab eadem forma uſui accomodata, illae enim, quae aedium abacis, ac feneſtris imponi ſolebant, nullo manubrio praeditae ſunt, ſed plerumque in poſtica ita complanatae, ut muro facile adhaererent, firmiuſque conſiſterent, quarum exempla videnda ſunt tab. praelim. n. IV. & V.. Quas vero pſiis arboribus, ſive aequioribus muris ſuffigi claviculo oporteret, illae manubrio pariter carent; ſed poſtica illarum ſurſum repanda foramine pervia eſt, quales ſupra §. VI. deſcripſimus, & quarum unam dicta tab. num. I. delineandam curavimus. Lucernae iſtae, quae in uſum publicae laetitiae addictae eſſent, praeſertim vero quae ad aedes publicas illuminandas effingebantur, prodierunt ut plurimum e peculiaribus officinis, quae inter officia domus Auguſtae cenſebantur. Duplici ratione conjecturam fulſimus, uſu nempe ipſo frequenti innumerabilium Lucernarum illuminandarum quocunque *die laeto*, ſive Victoriae, ſive Pacis, ſive Nuptiarum, ſive Adoptionum, ſive adventuum Imperatorum; aut cum ad id faſtigium aſcenderent, aut ad illud Conſortes adſcirent; cum denique e vivis migrarent: nec enim credibile eſt, hanc ſupellectilem, quae tanto uſui eſſet, ſingillatim aliunde expetitam, quum omnia prorſus obſequia Imperatoribus per libertos exhibita fuiſſe ſentiamus. Accedit tandem ipſa ſubſcriptio figlinarum, quae illas ad Domum Auguſtam ſpectaſſe manifeſtiſſime evincit. ut. A. A. A. A. NN. AUG. ANTONINI. ANTO. AU. COMMOD.

XXII.
MOD. TERTIA ΔΙΟΚΛΙΤ. DOMITIA. D. ET. D. N. FLAVIA. D. E. D. N. FLAVIA. D. ET. DEI. N. FLAV. FLAVI. M. IVI. PHIL. COS. III. MAX. MAXIM. PROB. PROBI. SEVERI. TITI. TINDAR. PLOT. AUG. LIB. TRAIANI. rurſus haec graeca, licet minus integra

Γ. - - - - - PM.
- - - - - ΙΟΥ.
CEBAC.

aliaeque plures, quae operis decurſu oportune memorabuntur.

X V.

DOmeſticas vero Lucernas vocamus, quas pro familiari uſu quiſque ſibi comparabat. Has ab ornamentis definire ardua res eſt, quippe nulla emblemata talis uſus reſpuebat, non triumphalia, non amphitheatralia, non ludicra; denique non ipſae Deorum imagines a Lucernis familiaribus abhorruerunt pro ſuperſtitione, & inſtituto privatorum. Triplicis vero ſpeciei in privata domo fuerunt Lucernae fictiles. *Mobiles*, *penſiles*, & *candelabra*; Mobiles, ut opinor, unico tantum argumento a ceteris diſtinguuntur, reliquae ambiguis; manubrii nempe forma praelonga, ſurſumque patula, qua firmius prehenſarentur. Ea tamen quandoque parergi loco eſt, ut in penſilibus ſacris. Penſiles e camera dependebant ad frequentata magis cubicula, & caenacula illuminanda: Ita Virg. de Caenaculo Didonis

- - - - *Dependent lychni laquearibus aureis*
Incenſi.

& Petron. *in Satyr. Etiam Lucerna bilychnis de camera dependebat*. Ubi Scholiaſtes. *Candelabrorum in coenis nullus uſus fuit. Noctis tenebras Lucernis penſilibus depellebant.* Candelabra in uſu rei ſacrae potiſſimum fuiſſe puto, cum plerumque in ſenſu religionis videam fuiſſe memorata. Ipſam vero Lucernam ſuper candelabrum attolli non ſine religione fuit, ſicut flammam in ſacris, elevato pro

Deo-

Deorum magnitudine altari. Sed domeſtico uſui aliquando addicta puto, fortaſſe olim neque lectum, aut ſcriptum fuit ſine candelabrorum famulatu; quum vero humanis uſibus deſervirent, non candelabra, ſed communius lychnuchos vocaverunt, ut ſuum ſibi prae artificio jucundiſſimum appellavit Cic. *ad Q. Fratr.* 336. Ad hoc genus referendae ſunt Lucernae illae canaliculo intrinſecus perviae, quae ligneo haſtili tranſadigerentur, quaeque pro oportunitate deprimi, atque attolli potuiſſent; ex quibus una eſt in Muſeo Kircheriano, altera in meo. Lucernam fictilem omnium maximam videre eſt Piſauri in Muſeo Arditio, quippe quae ſeſquipedalis eſt; huic vero mole ſecundam in meo, quam ex avito penu deprompram Comes Fabricius ex clariſſima Hondedeiorum familia ea, qua pollet, humanitate Muſeo meo cumulavit. Nempe ubi luculentiori ſplendore opus eſſet iſtas (forte lampades) adhibuerunt; earumque uſus fortaſſe fuit in illuminandis veſtibulis, Templorum acroteriis, theatris, & thermis. Inter domeſticas cenſentur quoque, quas *meretricias* vocant ultimam ſaeculi impudentiam redolentes, in quibus monſtra libidinum, & furias impias retulerunt. Utinam ſola Lupanaria haec probra ceramicae cognoviſſent, neque invaſiſſent domorum caſtitatem, & ipſum horrorem religionis in templis ipſis contaminaſſent; quod apud Romanos plerique Eccleſiae Patres reprehenderunt, apud Graecos vero ipſe Ariſtoteles *Politicor. lib.* 7. *in fine*.

X V I.

RElígio Lucernarum ex eodem fere fonte, quo ſacer ignis in altaribus, emanavit, idem enim in omnibus elementum, ſemperque ſacrum. Ut vero Larem igne propitiandum putabant, ita Geniis, ſeu Manibus defunctorum Lucernae flamma litaverunt. Haec vero ſuperſtitio nondum ſepulcra invaſit, donec ex mortuorum omnium animis Deos fieri creditum eſt; neque propterea ab hoc cultus genere alienos. Julii Caeſaris primum,

dein

dein ceterorum Auguſtorum, Auguſtarumque Apotheoſes hiſce deliriis exemplum, atque rationem ſuppeditarunt. Rem ex profeſſo proſequemur, ubi de ſepulcralibus Lucernis ſermo erit. Id vero omnino notandum eſt, ante ea tempora nullam apud Italos, quod ſciam, Lucernam in ſepulcro poſitam, nempe nondum publicata divinitate. Diuturnam in hac adhibui ſolertiam, neque uſpiam de veteri ſepulcro rumorem audivi, quin de Lucernis percontarer. Senoniae antiquiſſima ſupra recenſui; & de Romanis antiquioribus ſaepe mentionem feci. Etruſca quoque Peruſinorum ſine Lucernis detecta ſunt, & ſine illarum ulla in dies eruuntur in agro Tudertino, praeſertim vero circa Tyberim, omnia accuratiſſime perſcrutante toties memorando Jovannellio, qui nec ſumptui, nec labori pepercit unquam, ut patria monumenta a tenebris vindicaret. Detectis ibi poſtremis annis vi fluminis omnia vaſtantis arculis lateritiis, quarum tegulae antiquioribus latinis litteris ad etruſcam formam accedentibus inſculptae, defunctorum nomina continebant, paterae, & vaſcula plurima circa occurrerunt, at nulla Lucerna; nulla quoque in ejus aevi ſepulcreto, quod Dominici Patris mei aetate effoſſum eſt apud Eugubium Avorum meorum Patriam, mihique ſemper venerabilem. Agrum integrum ad D. Mariae *della Piaggiuola* interne ſepulcra occupabant. Immanes ollae oſſiculis plenae totidem familiarum ſepulcra erant; multiplex circumquaque ſupellex fictilis ampullarum, & patellarum, & vaſculorum omnigenorum; mirum tamen Lucernam nullam ibi occurriſſe. Quas vero ubique locorum invenire datum ex iis eſt, eas vel Auguſto coaevas, aut recentiores eſſe indicavimus. Cur vero tam ingens circa poſteriora ſepulcra Lucernarum numerus inveniatur, in promptu cauſſa eſt, quod nempe ſepulcro ſemel illatas piaculo foret inde transferri, & in uſum hominum reſtitui, ut habemus in leg. *ſi quis ſepulcrum ff. de ſepulc. violat.* quod in ſepulcris hoſtium P. R. vetitum non erat, quae impune diripi poſſe permiſit lex *ſepulcra hoſtium* 4. *eod. tit.* Lege etiam Gordiani Auguſti ſanciebatur, res religioni deſtinatas, qui-

nim-

nimmo jam religionis effectas ſcientes qui contigiſſent, & diſtrahere non dubitaſſent, laeſae religionis crimine adſtringi, ut in lege *res religioni*, *Cod. de Sepul. Violat.* Idem decrevit lex 1. *ff. ad leg. Jul. peculat.* de pecunia, quae de ſepulcro auferretur, quam ex hominum commercio eliminandam tradit Philoſtrat. *de Vit. Apollon. lib.* VII. Auxerunt numerum Lucernarum in tumulis mortuorum annua ſolemnia parentalium, ac februorum, in quibus Lucernas excitari ſolere trita res eſt, quum id, praeter Scriptores, ipſa quoque marmora, & leges ſepulcrales teſtentur. Quinimmo *alternis menſibus lucernam accendi* quandoque mandatum eſſe legimus in leg. Maevia 44. *ff. de manumiſſ. teſtam.* Ulterius etiam hanc in mortuos aſſentationem progreſſam ſcimus, addicto eorum monumentis ſervo ſtationario in perpetuam cuſtodiam, de quo mentio eſt in leg. 18. §. 4. *ff. de alim. leg.* cujus munus eſſet cuſtodire ſepulcrum, & Lucernas accendere. Quum igitur tam frequens fuerit in illis Lucernarum accenſio, neque inde haec transferri ſolerent, clare patet, unde earum numerus ita excreverit. Auget pretium fictilium lychnorum, eos non modo in humiliorum ſepulcris fuiſſe adhibitos, verum etiam in Optimatum admiſſos, cujus inſtituti cauſſa fuit, ut terrae commiſſa corpora vaſa ex terra comitarentur, ſive religio hoc induxiſſet, ſive majorum imitatio, quorum frugalem vitam tantum poſt funera aemulari placuiſſet. Quibus de cauſſis *ſeſe multi poſt mortem fictilibus doliis condi maluere*, ut tradit Plin. l. 35. cap. 12. Acceſſit in cauſsa, ne pretioſior ſupellex latrociniis, & direptionibus pateret. At ipſa neceſſitas omnium potiſſima cauſsa fuit fictiles adhiberi, nam quum ingentes illae ſepulcrorum moles illuminari oporteret, ardua res erat pretioſiores tanto numero comparare, excogitata arte argillae inſculpendae, quae artificio materiam compenſabat. Hinc tam fraequens in Lucernis ſymbolum Caeſareae apotheoſis Aquila, Pavo, Luna, Rogus, Victoriae clipeos ſupra Rogum attollentes, Caeſarumque imagines ab aquila elatae. Fateor tamen, & in privatis ſepulcris ſymbola haec ambitioſae mortis reperiri,

nempe adſcitis jam animabus omnium in Deos, ut innuit Noris *Caenotaph. Piſan.* diſs. III. cap. 4.

X V I I.

Licet vero Lucernae omnes in ſacras, publicas, domeſticas, & ſepulcrales aptiſſime partiantur, difficile propemodum eſt, ſuis quaſque claſſibus aſſignare, ſi tamen paucas excipias, quas ſingillatim in notis innuemus; Lucernae quippe ſacrae & domi adhibitae ſunt, & propalam etiam in ipſis laetitiae ſolemniis, demum & in ſepulcris, in quibus aut tutelarium Deorum imagines, aut propriorum inſtitutorum ſimulacra, militaria interim, vel civilia ea forent, ſeria ne, an ludicra, commigraſſe vidimus, adſcitis ſymbolis e Templo, Foro, Laribuſque Domeſticis, atque illis pro ambitione uſurpatis; Ut vero aliquem nobis ordinem proponeremus, qui conſtanter ſeriem totam complecti poſſet, placuit Diis ſingulis Lucernas omnes attribuere, quum nulla fere ex iis ſit, quae Deorum alicui convenire non poſſit. Sacras ſui quique Dii ſibi vindicant. Publicas modo Victoria, qua militaris, qua circenſis, modo Dea Roma non reſpuit: Sepulcrales Umbrarum Dii: Domeſticas demum ii Deorum, quorum ſtudia in illis referuntur. Denique hic teſtatum volumus, nos omnia, quae ſuperiore anno Eruditis Viris, quum illos ad ſocietatem nobiſcum ineundam invitaremus, promiſimus, fideliter exequutos eſſe, ut nihil antea typis vulgatum recoqueremus; quae vero a nobis promulganda eſsent, quoad fieri poſset, ad autographi fidem excuderentur. Proſpeximus quoque, ut ipſa moles Libri alteri dudum a Sante Bartolo edito reſponderet, ut ſi quis maluiſſet operi noſtro volumen illud, quaſi corporis veterum Lucernarum Tomum primum praeponere, magnitudo non repugnaret.

F I N I S.

INDEX TABULARUM

INDEX TABULARUM.


Pantheum I.
Dea Panthea II.
Quatuor Deorum Symbola III.
Janus IV.
Nummi V.
Victoria cum clypeo VI.
Caelus VII.
Nox VIII.
Caput Saturni IX.
Saturnus X.
Quatuor anni tempora XI.
Veſtae caput XII.
Veſtalis arae adſtans XIII.
Capita Telluris, Jovis, Solis, & Lunae XIV.
Septem Planetarum capita XV.
Cybeles XVI.
Atys ΔΕΝΔΡΟΦΟΡΟΣ *XVII.*
Atys venator XVIII.
Atys ſacrificans XIX.
Ceres ΔΑΔΟΥΚΟΣ & ΕΡΙΝΝΥΣ *XX.*
Ceres cum gemino copiae cornu XXI.
Candelabrum Cereris XXII.
Caput Jovis XXIII.
Jupiter cum vaſis pontificalibus XXIV.
Jupiter ab Aquila elatus XXV. & XXVI.
Aquila cum trophaeo XXVII.
Jupiter Capitolinus XXVIII.
Simulacrum Jovis Capitolini XXIX.
Jupiter Cuſtos XXX.
Jupiter Dapalis XXXI.
Jupiter Hammon XXXII.
Jupiter Serenus XXXIII.
Genii Jovis XXXIV.
Sacrificia XXXV. & XXXVI.
Juno Jugalis XXXVII.
Hymenaeus XXXVIII.
Matronarum ſacrificium XXXIX.
Pavo XL.
Monetae XLI.
Neptunus XLII.
Triton XLIII.
Tridens, & Piſces XLIV.
Trophaeum navale XLV.
Genius Neptuni XLVI.

Scylla


XXVIII.
Scylla XLVII.
Caper marinus XLVIII.
Monſtra marina XLIX.
Delphynus lyram gerens L.
Conchae LI
Minervae nativitas LII.
Minervae capita LIII. & LIV.
Palladis protome LV.
Palladis ſimulacra LVI. LVII. LVIII.
Minerva Pacifera, & *dimiſſo clypeo* LIX. & LX.
Minerva Conſiliaria, & ΟΠΛΟΧΑΡΕΣ LXI. & LXII.
Pallas cum Ciſta miſtica LXIII.
Palladium LXIV.
Noctua, & *Meduſa* LXV. LXVI.
Genius Minervae, & *Aries aram cornu impetens* LXVII. & LXVIII.
Candelabrum Apollinis LXIX. & LXX.
Apollo Arcitenens LXXI. & LXXII.
Apollo Citharoedus LXXIII., & LXXIV.
Apollo cum quadrigis LXXV.
Apollo inter Muſas LXXVI.
Genius Apollinis LXXVII.
Tripus, *Lyra*, *Laurus* LXXVIII.
Gryphes LXXIX.
Pegaſus LXXX.
Muſa, *Genius Muſarum* LXXXI. & LXXXII.
Caput, & *protome Solis* LXXXIII. & LXXXIV.
Quadriga Solis LXXXV.
Signa Zodiaci LXXXVI. & LXXXVII.
Solis, & *Lunae capita Jugata* LXXXVIII.
Capita Solis, *Martis*, & *Veneris* LXXXIX.
Mithra XC.
Aſtrum, & *Luna ſilens* XCI.
Biga Lunae XCII.
Diana globo inſidens XCIII.
Diana ΦΩΣΦΟΡΟΣ XCIV.
Genius Dianae Luciferae XCV.
Diana venatrix XCVI.
Hecathes candelabrum XCVII.
Diana Epheſia XCVIII.
Caput Bovis XCIX.
Mercurius C.
Genii Mercurii CI.
Mercurius cum Cane, & *Capro* CII.
Mercurius Negotiator CIII.
Mercurius, & *Apollo* CIV.
Mercurii Symbola CV.

FINIS.

TABULA PRIMA.




I·Menabuonj·del· Vin·Franceschini·Sc·




I·Menabuonj del·


V·F· Scu·



I·Me· del· V·F· Sc.




J. Menaboni del: et Scul.



I·Menabuonj · del·


V· Franceschinj Sc.




I. Menabuoni del. V. Franceschini Sc.



I·Menabuony ·del· *Vin Franceschini Sc·*




I Menabuonj·del· Vin·Franceschinj Sc·



I·Menabuoni del· V·Franceschini Scul·


T·X




I·Menabuoni del· V·Franceschini Scul·




I. Menabuonj del. V. Franceschinj Sc.



I·Menabuoni·del· et· Scu·




I·Menabuonj·del· V·Franceschinj Sc.




I·Menabuoni del·

V·F·Scu·




I. Menabuoni del.


V. F. Scu.




I·Menabuoni del· V·Franceschini Sculp·

T· XVII·







I·Menabuoni del· *V·Franceschini Scul·*




Joseph Menabuonj del. *Sante Manelli Inc*




I·M·D· V·F·S·




I·Menabuoni del. V·Franceschini Sc.




G·Menabuonj del. V· Franceschinj Sc.




I·Menabuonj· del· V· Franceschinj· Scu·




I. Menabuonj del. V. Franceschinj Scu.




I·Menabuonj del·   V· Franceschinj Sc.



Joseph Menabuonj del. *Sante Manelli Bol.[se] Inc.*




G· Menabuonj del *V· Franceschinj Sc.*




G· Menabuonj del· V· Franceschinj Scu·


T. XXIX.




I. Menabuonj del. *V. Franceschinj Scu.*




Joſeph Menabuoni del *Joſeph de Benedictis in*




I·Menabuonj del. *Vin Franceschini Sc.*



I·Menabuoni del· V·Franceschini Scul·




G· Menabuoni del· V· Franceschini Sc.




G· Menabuonj del·


V· Franceschinj Sc.




I. Menabuoni del.　　Vin. Franceschini Sc.



T. Alenahorj del. *T. Papinj ſcul.*




I·Menabuonj del·　　　　V·F· Scu·




I Menabuonj ·del· V· Franceschinj ·Scu·

T. XXXIX.




Joſeph Menabuoni del. *Benedictis fec.*




I Me· del·

V·F· Scu·

T.XLI.




Joſ: Menabuonj del. *Joſ: Papinj ſcul.*




I· Menabuonj del·   V Franceschinj Scu

T·XLIII·




I· Menabuonj del·


V·F· Scu·




I·Mc· del. V·F· Sc.




F. Mercabue... del. et sculp.




I·Menabuoni del. V·F·Sc.




I·Menabuonj·del. *V·F·Sc.*




G. Menaboni del. et Sculp.



I· Menabuonj del. V·F· Scu.




I. Menabuonj del. *V. F. Sc.*




I·Me· del·


V·F· Scu.




I Menabuoni del · V· Franceschini Sculp·



I·Menabuonj del. V·F Sc.



L. Menabuoni del. *P. Ant. Pazzi ſc.*




I Menabuoni·del V·Franceschini·Scu




Ioſ. Menabuoni del *P. Ant. Pazzi ſc.*




I· Menabuonj· del· *Vin· Franceschinj Scu*




Joseph Menabuonj del — *Sante Manelli Inc*




I·Menabuoni del· V Franceschini Scu·




Ioſ. Menabuoni del. P. Ant. Pazzi ſc.



Joſeph Menabuoni del: *Joſeph de Benedictis inc:*




J. Menabuonj del. Carlo Faucci ſcul.




I. Menaboni del.

B. Sgrilli scul.




I· Menabuoni del·


V· F· Scu·




I· Menabuonj del· *V· F· Sc·*




Joſeph Menabuoni del: *Joſeph de Benedictis inc:*




G·Menabony· del. V·Franceschiny Scu·




I Menabonj · del· *Vin· Franceschinj Sc·*




G. Menabuonj del. V·Franceschinj Scu.




G. Menabuonj del. *V. Franceschinj Sc.*



I·Menabroni del·　　　　V·F Sc.




I. Menabni del. et ſculp.



Joſ. Menabuoni del. *P. Ant. Pazzi ſc.*




Joſeph Menabuoni del. *Joſeph de Benedictis incidit*



I. Menabuonj del. Vin. Franceschinj Sc.


T·LXXVI·




I·Menabuonj del·

EX VITRO

Vincenzo Fra·Scu·




Ioſ. Menabuoni del. *P. Ant. Pazzi ſc.*




G·Menabuonj del·


V· Franceschinj Scu·




Joseph Menabuonj del. *Sante Manelli Inc.*



I. Menabuoni del. V. Franceschini Scu.




I·Menabuonj del· V·F· Scu·



Ioſ. Menabuoni del. *P. Ant. Pazzi ſc.*


T. LXXXIII.




I. Menaboni del. B. Sgrilli scul.




Joſeph Menabuoni del. *Joſeph de Benedictis in.*



I·Menabuonj del. V·F Scu.




Joſ: Menabuonj del. *Joſ: Papinj ſcul.*




I·Menabuoni del·


V·F Scu·




G. Menabuonj del. V. Franceschinj Scu




Joſ: Menabuonj del. et ſcul.




Joſ: Menabuoni del. *Joſ: Papini ſcul.*




I·Menabuonj· del· *V·F· Scu·*




Joſ. Menabonj del. *Joſ. Papinj ſcul.*




J. Menabuonj del. *Carlo Faucci Sculp*




Joſ: Menabuonj del. *Joſ: Papinj ſcul.*




G. Menabuonj del.   V. Franceschinj Scu.




Joseph Menabuoni del. *Sante Manelli Inc.*




G. Menabuonj del. V. Franceschinj Sc.



Joſeph Menabuoni del. *Joſeph de Benedictis in.*




Io·Bapt·Passerius· del. *V.F.S.*




Joſ: Menabuonj del: et ſculp




I. Menabonj del. *I. Papinj ſcul.*




J. Menabonj del. et ſcul.



I. Menaboni del. *B. Sgrilli scul.*



Joſ: Menabonj del. *Joſ: Papinj ſcul.*



J. Menabonj del' et ſcul.

NOTAE

I.

PANTHEUM.

ROMANI, qui, quum omnibus pene gentibus dominarentur, grande putabant, ſi omnium gentium ſervirent erroribus, nullam unquam ſuperſtitionem, nullas fabulas, furias nullas reſpuerunt, & in ipſa religione inexplebiles. At diſtricti diſputationibus Chriſtianorum, judicioque veritatis in eum locum adducti, ut plures Deos eſſe poſſe jam non crederent, in eam dementiam lapſi ſunt, ut modo Deum, quem Chriſtiani praedicabant, excluderent, unum quidem Deum, ſed ex omnium Deorum ineptiis coagmentarent, quem *Pantheum* appellaverunt. Qui vero plura ſymbola in una imagine conſarcinaſſet, caeteris videbatur eſſe beatior, atque ſapientior. Sic commentis corrupta religione, caeremoniis, atque ipſa mentis ratione, tandem errorem etiam ipſum novis erroribus corruperunt. Hujus novi Numinis natura in eo ferme tota erat, ut virtutes omnes, quas alioquin a Deo diſtinctas putabant Veteres, Deus iſte omnia continens complecteretur. De eo Macrobius in *Somn. Scip.* lib. I. c. 17. *Deum vero quod non modo immortale animal, atque divinum ſit, plenum inclitae ex illa puriſſima mente rationis, ſed quod virtutes omnes, quae illam primae Omnipotentiam ſummitatis ſequuntur, aut ipſe faciat, aut ipſe contineat*: unde, ut ſubdit *Satur.* I. 17. εν το παν *ſapientum principes prodiderunt*. Ac quamquam Panthei appellatio apud illos haud ſecus atque apud nos maxime invaluerit, auguſtiori tamen vocabulo Deus iſte aliquando dictus eſt *Deus qui eſt Maximus*.

Neque vero ex Gruteriana Inſcriptione pag. XVII. 9. hanc ſummi Numinis appellationem proferre eſt in animo; quippe qui probe ſciam ex militis monumento,

quod integrum habetur p. CCCCLXVII. 6., corruptam lectionem in Gruterianum theſaurum tale Numen intuliſſe, ex qua, ut recte notavit Gudius, in errorem inductus fuit Boxhornius Rom. quaeſt. XIII., quod miror oculatiſſimum Graevium non animadvertiſſe in Praef. ad V. Tom. Ant. Rom., ubi plura Boxhornii ſphalmata caſtigat; verum ex inſigni, a qua collectionis noſtrae exordium ſumimus, veteri Lucerna. Vitrea ea eſt, at miſere fracta; diſcus cyanei coloris, albidi vero anaglyphum; utrumque impolitum adeo, ut opus encauſto pictum fuiſſe videatur; cujus quidem decus, ut primum vitrea haec monumenta aeri exponuntur, intercidit, ut monuit Cl. Bonarotius ad *numiſm. Carpineâ*; quam jacturam in plurimis vitreis tabulis Muſaei noſtri experti ſumus.

Panthei imago capite flore loti, vel perſeae ornato conſpicitur, alatiſque humeris; dexterae manus indicem digitum ori admovet. An aliis etiam ſymbolis onerata fuerit, ut Pantheum illud Muſaei Ciampinii, quod edidit Gorius Collect. Donian. *pag.* 19., vitro fracto, affirmari nequaquam poteſt. Lucernae diſcum corona ambit ex hederis, pampinis, uviſque contexta. Nollem tamen ad Harpocratem Lucernam iſtam aliquis referret, propterea quia eo geſtu, quo potiſſimum Harpocrates formabatur, expreſſum in ea Pantheum ſit. Inſcriptio enim ſubjecta DEO QVI EST MAXIMVS ſatis ſuperque Harpocratem excludit, & Deum ſummum omnium Deorum vim in ſe continentem aperte declarat. Inde ſi Harpocrates digito ori admoto in divinis rebus ſilentium indicit, ut Ovid. innuit *Metam. lib.* 9. v. 693.

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet,

Pantheum precantium geſtu in hac Lucerna repraeſentatur.

Conſueverunt enim Romani fortaſſe ex Etruſcorum inſtituto Deos plerumque ea forma exhibere, qua ſacrificaturi illos adibant: ſic Salus ante aram libat; Veſta quandoque; Genius fere ſemper; & Diis omnibus, atque Deabus patera tribuitur. Manus vero ad os appoſitio-

ſitionem inter divina obſequia recenſet Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *In adorando dextram ad oſculum referimus*; & Apulejus *Metam.* lib. IV. *Admoventes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente, ut ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur*.

Haec adorandorum Deorum forma confirmatur eleganti fragmento marmorei ſimulacri, quod inter rudera Templi Herculis in agro Tudertino nuper effoſſum accrevit Muſaeo noſtro ex munere Andreae Jovanellii illius Urbis Presbyteri, qui licet harum rerum ſtudioſiſſimus, atque conſultiſſimus, praetulit tamen voluptati ſuae fortunam amicorum. Mulieris illud eſt, ſeu mavis Veſtae ipſius, velato capite tali geſtu precantis. Neque ob aliam certe rationem exiſtimandum eſt, Geniorum illorum, qui menſae praeerant, ſimulacra (vulgus *pocillatores* appellat) ſummis pedibus ſtantia effingi; niſi quia tali corporis habitu Deos ſuos Veteres adorarent. Martialis docet lib. XII. ep. 78.

Multis dum precibus Jovem ſalutat
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues.

Convivalis Genii elegantiſſimum ſigillum opportuniori loco proferam.

II.

DEA PANTHEA.

INnuimus ſupra, Deos plerunque more ſacrificantium expreſſos fuiſſe; en alterum conjecturae argumentum in hac Lucerna, in qua media inter aras Dea Panthea thus adolet.

Deo Pantheo ex omnium Deorum attributis coagmentato par erat, ut feminam ſociarent; minime quidem quia viro uxorem adjicerent, quum enim Deum illum ab omni humanitatis contagio immunem crederent, connubiorum deliramenta, quae in caeteris admiſerant, in illo reſpuerunt. Inde autem ſexus varietas procedebat, quod maxime inter Philoſophos diſceptare-

tur, eſſet ne Deus maſculus, vel femina, ſeu potius androgynus; quam quidem poſtremam ſententiam memorat Servius *Aeneid.* 2. Verſ. 633. *Loquitur ſecundum eos, qui dicunt utriuſque ſexus participationem habere Numina, nam Calvus pollentem Deum Venerem appellat. Item Virgilius. Nec dextrae erranti Deus abfuit, quum Juno fuerit, aut Alecto. Eſt etiam in Cypro ſimulacrum barbatae Veneris*. Et Macrobius *Saturn.* III. 8. *Philocorus quoque in Atthide eamdem affirmat eſſe Lunam, nam & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas exiſtimatur, & femina;* Hinc placuit Pantheum quandoque virum effingere, quandoque feminam, quam plerique cum Nemeſi confundunt.

Alae capiti utrinque additae; vulgatum ſymbolum divinae univerſalitatis, quod ubique ſit; quod quidem attributum frequentiſſime in ſimulacris Graecis uſurpatum legimus, in Etruſcis vero quotidie obſervamus. Lotos, & geminum copiae cornu facile divinam providentiam, quae bona omnia largitur, demonſtrant; radii vero Solis poteſtatem, cujus miniſterio Dei nutu Natura temperatur.

At duae illae arae ſuccenſae peculiare ſymbolum ſunt Matris Deum, cujus etiam virtutem in hoc typo cumularunt. Duplici ara illi ſacra fieri tradit Statius *Theb.* 8. 298.

Tellurem placare parat, nec futile moeſtis
Id viſum Danais, geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, & adulto ceſpite texi
Imperat; innumeroſque Deae ſua munera flores,
Et cumulos frugum, & quicquid novat integer Annus,
Addit, & intacto ſpargens altaria lacte
Incipit.

Immo plures aras uni Deo eodem loco exſtructas referunt Scriptores, quibus forte uno eodemque tempore plures litarent. Pauſan. *Cor.* VI. *Multas circa illas porticus aras Jovi erigunt, & in aprica fori parte multae arae ſunt*: Sic Romae in Aede Jovis Ultoris arae duae marmoreae; ſex vero marmoratae memorantur

tur a Fabric. *Deſcript. Urb. Rom.* c. 9. Neque profecto exiſtimandum eſt, poetice Virgilium in pleriſque ſacrificiis aras plurali numero exſtructas recitaſſe: ſic in illo Jovis.

Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem. Et alibi
Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras.

Hinc Plin. *Paneg.* c. 1. *Ab ipſo Jove coram ac palam repertus, electus es inter aras, & altaria.* Plutoni quoque plures in eodem ſacro arae tribuuntur.

Tum Regi Stygio nocturnas excitat aras.

Et Aeneid. 3.

. . . . *Maneſque vocabat*
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.

III.

QUATUOR DEORUM SYMBOLA.

HAnc quoque Lucernam quatuor Deorum ſymbolis interſectam Pantheo attribuimus, quod de potioritate ambigeremus. Potiſſime vero Juppiter Δωτωρ εαων *Bonorum largitor*, qualis a Callimacho primo in Jovem hymno nuncupatur, hanc ſibi vindicaret optimo jure; ſchemata enim Palladis, Aeſculapii, & Mercurii, quae ſymbolo Jovis ſubſunt, bona *Mentis*, *Fortunae*, & *Corporis*, quibus omnia Deorum dona comprehenduntur, indigitant. Haec tria a Jove largiri notat Callimachus.

Salve plurimum, o Saturnie maxime, dator bonorum,
Dator incolumitatis . . . .
Salve iterum, atque iterum, da nobis & opes, & virtutem,
Neque ſine virtute opulentia poteſt homines beare,
Neque ſine opulentia virtus; da ergo & virtutem, & opes.

IV.

JANUS.

SI quid in tota antiquitate intricatum, profecto Janus eſt. Tradunt paſſim Etruriae Regem fuiſſe, Saturno contemporaneum, & gentis Janigenae auctorem. At Ovidius altius rem expetendo, illum ſic loquentem inducit *Faſt.* I.

Me Chaos antiqui, nam ſum res priſca, vocabant.
Aſpice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hinc aer, & quae tria corpora reſtant
Ignis, aqua, & tellus, unus acervus erant.
Ut ſemel haec rerum ſeceſſit lite ſuarum,
Inque novas abiit maſſa ſoluta domos;
Coelum flamma petit, propior locus aera coepit,
Sederunt medio terra, fretumque loco.
Tunc ego, qui fueram globus, & ſine imagine moles,
In faciem redii, membraque digna Deo.

Diu perſcrutatus ſum, unde Ovidius deſumpſerit Janum ſuum, ac tandem in eam veni ſuſpicionem, ipſum eundem eſſe, quem Orpheus in hymnis Πρωτογονον *primogenitum* appellat.

Primogenitum voco biformem magnum in aere errantem,
Ex ovo genitum, aureis gaudentem alis,
Qui quoquoverſum volutus, alarum incitamentis per Mundum
Emicantem ducens lucem putam, e qua te Phaneta voco.

Quae conſonant cum Heſiodi mithologia, qui Chaos vocat primogenitum. Sic in *Theogon.*

Primum quidem omnium fuit Chaos.

Et hic fortaſſe Deus ille eſt Primogenitus, cui aram Auguſtus in Capitolio dedicavit; unde etiam colligimus, cur nam in ſacrificiis omnibus ab ipſo praefatio inciperet, primuſque omnium invocaretur. Quapropter minime dubito, cultum ipſius ex Oriente in Italiam commigraſſe, praeſertim quum apud Aegyptios quoque veneraretur, ut Plinius docet lib. 35. c. 5. *Item Janus Pater in ſuo templo dicatus ab Auguſto ex Aegypto advectus,*

ctus , *jam quidem auro occultatus* ; Quia vero Phoenicios Deos plerumque antiquis nominibus Itali retinuerunt, agnoſcere adhuc mihi videor in ejus nomine primaevae linguae majeſtatem , atque in ipſo turpiter deturpatum unum ex Dei nominibus יה *Jah* , quod *Dominum* ſignificat, ſive mavis Chaldaeum ייי *Jai* . At iſta omnia ſi res , & aetas patientur , maturius expendemus peculiari opere DE DIIS PISAVRENSIBVS , in quo non tantum patrios Deos , ſed data occaſione caeteros etiam ad trutinam revocabimus , eorumque hiſtoriam , & nominum rationes nova quadam methodo expendemus . Poſtulat hoc dignitas Patriae meae , quae innumeris in diem prolatis admirandis magnificae antiquitatis veſtigiis ſeſe e tenebris vindicari vehementer inculcat.

Sane exiſtimabam obelum illum , qui medio Jani capiti imminet in nummis , eſſe notam pecuniae . At qui in Lucerna noſtra valde eminet proprium aliquod Numinis attributum teſtatur ; inde credibile eſt loto pluribus Aegyptiorum Diis adſcripto , Jano ex aliquo ignoto frutice ferulam tributam .

Janus marmoreus Piſauri frequenter occurrit , ſenili in antica , muliebri ſpecie in poſtica parte ; talis ille eſt qui in Muſaeo Cl. Viri Oliverii noſtri conſpicitur ; nec abſimiles tres alii in Muſaeo Arditio aſſervati ; talis item gigantaeus ille apud Cl. Joannem Andream de Abatibus Oliverium Equitem D. Stephani , cujus praeclaram domum inſigni addita pynacotheca Eminentiſſimus Cardinalis Patruus fecit toto orbe venerabilem; ex quibus monumentis colligere licet Piſaurenſes noſtros Deum hunc *biformem*, *atque utriuſque poteſtatis* , & qualem ex Orpheo deſcripſimus , coluiſſe . At in his omnibus ſignis , qua caput capiti haeret , profundum foramen obſervatur , quo fortaſſe aereus obelus firmaretur . Aliquando foramina iſthaec μηνισκον , ſive umbellam dignitatis gratia ſuſtinebant , ne , ut ait Horatius *Sat.* lib. 1. 8. ab avibus coinquinarentur , cujus etiam meminit Ariſtophanes *in Avib.* & Svidas .

V.

V.

NUMMI.

INſignitur Lucernae hujus diſcus eximio quodam invento, minime tamen unico apud Antiquos, nummis videlicet omnigenis; ita ut in rudi ſphragiſmate trientes, quadrantes, atque ſemiſſes internoſcantur, aſſe medium obtinente, quia dudum nummorum maximus fuit.

Sane id emblema ad eas ſtrenas alludit, quae Kalendis Januariis mitti ſolebant, ut ex Suetonio conſtat in *Tiber.* c. 34., & *Calig.* c. 42.; hae porro, quum in Jani honorem inſtitutae eſſent, merito illius imagine notantur. Ovidius *Faſtor.* 1.

Dulcia cur dentur, video: ſtipis adjice cauſſam,
Pars mihi de feſto ne labat ulla tuo ....
Tu tamen auſpicium cur ſit ſtipis utile, quaeris,
Curque juvent noſtras aera vetuſta manus;
Aera dabant olim; melius nunc omen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta novae.

Neque vero temere ſtrenas in Lucernis expreſſerunt Veteres; non ſolum enim in iis omnia ferme vitae officia atque mores diligentiſſime effingebant, verum etiam Lucernas ipſas ea occaſione amicis dono mittere conſueverant. Probat hoc vetus Lucerna a P. Bartolo vulgata *Par.* III. 5. cum auſpicali ſalutatione ANNO NOVO FAVSTVM FELIX; probat haec noſtra, probat demum & ſequens, quae omnes ad eam conſuetudinem omnino pertinent. Conſonat Martialis qui inter apophoreta *epig.* 35. Lucernas recenſet.

Quae quum ita ſint, facile adducor, ut credam hanc, & ſequentem Lucernam e numero ſepulcralium vindicatas inter civiles adſcribendas eſſe; neque tamen ambigo religioni etiam quandoque inſerviſſe; praeſertim ad januas in ſolemniis illuſtrandas, qui mos a Tertulliano improbatus, ad ſequiora uſque tempora obſtinate perduravit, ita ut D. etiam Chryſoſtomus illum acriter corripue-

ripuerit *Homil.* 22.; nec non Syneſius in *Caluit.*; credibile eſt enim, Janum praeſidem januarum ad illas exornandas fuiſſe ſelectum, ut ubi ejus eſſent myſteria, ibi quoque imago cerneretur. At de his latius in Prolegomenis.

Uſus ſtrenarum, nummorumque in Lucernis figurandorum minime patitur, ut ſingulare vitreum monumentum Clariſſimi Oliverii mei praetermittam. Vitreae phialae, ſeu lancis ima pars eſt; aurea bractea, quae caeruleo vitro includitur, graphio exarata, nummos exprimit, qui totam fere Antoninorum familiam repraeſentant, addita in limbo donationis formula.... VIVAS CVM TVIS OMNIBVS. Haerebat hoc ſingulare cymelium in coemeterio Calixti, quod ſecretum vocant, unde Vir Clariſſimus Antiſtitis Oliverii Sacrarii Pontificii Praefecti, ac Patruelis ſui auctoritate fultus, propriis manibus, fractum licet, defixit, & literariae gazae ſuae intulit.

V I.

VICTORIA CUM CLYPEO.

LUcerna haec incomparabili argillae tenuitate laudatiſſima, ſymbolis, quibus referta eſt, multo praeclarius nobilitatur, & ad ſtrenas, de quibus egimus, citra dubium refertur. Edidit alteram noſtrae affinem Bartolus *Par.* III. 5., cujus fragmentum ex Fabretti Muſaeo ceſſit in noſtrum. Id quamquam mutilum multa evincit, in quibus peccavit Pictor alioquin admirandus. Pallam collo Victoriae haerentem, ille exſerto brachio diſſolvit; palmam pro lauro ſubſtituit; ex nuce, & amygdala glandem, fulmen denique ex orca caricarum effinxit.

Typus idem dubio procul in noſtra Lucerna expreſſus eſt, variatis quibuſdam ſymbolis, & ornatu limbi exterioris. Notavimus in Prolegomenis, conſueviſſe quandoque figulos ſigillatores eundem typum, quia laudare-

tur novi alicujus ornamenti acceſſione iterare. Id fortaſſe noſtro contigit, in quo plura ab editis diverſa reperiuntur.

Omnia hic ad anni novi auſpicia pertinent. Victoria primum ſeſe offert, Numen populo Romano familiariſſimum, quo Genius Urbis praeſertim ſequiore aevo indicabatur: clypeum tenet, in quo natalis anni omina expreſſe continentur: lauri ramuſculum gerit, ut Victoriae Mediceae ſimulacrum a Cl. Gorio nuper illuſtratum: a tergo aſſis Jani imagine ſignatus, cujus rei rationem ſuperius attulimus; quae quidem vetus moneta etiam inter illa opulentiſſimi ſaeculi faſtidia in pretio fuit. Tradit enim Suetonius cap. 75. Auguſtum *nummos omnis notae, etiam veteres regios, ac peregrinos*, quandoque fuiſſe elargitum: inde Ovidius *Faſtor.* 1.

Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis,
Mos tamen eſt aeque dignus uterque coli.

Nux pinea, amygdala, & olla mellis inter bellaria ejus ſolemnitatis numerantur; quam vero diligentiſſime exprimi curavimus, eſt maſſa illa caricarum, pro qua fulmen Bartolus inſculpſit. Caricae vaſe quodam vimineo compreſſae ſervabantur, quod *Orca* vocabatur, cujus figura hic primum fortaſſe exhibetur. De Orca ſic Feſtus. *Orcae genus marinae belluae maximum, ad cujus ſimilitudinem vaſa quoque ficaria orcae dicuntur;* & Columella XII. 15. *Nonnulli hanc ipſam formam fici orcis ſine pice includunt:* Et Plinius lib. XV. 19. *At ubi ficorum copia abundat, implentur orcae in Aſia.* Ejus opificium prorſus tale. Intextis circa medium viminibus, caeterum ſolutis, in ima parte ligabantur; injectis deinde caricis, ac ſuperne cumulatis, iterum in cuſpide ligabantur, ut duplicem conum quaelibet maſſa referret; facile profecto opus, quodque ex tempore pararetur.

Bellariorum hujuſcemodi uſum illuſtrat Ovid. *loco cit.*

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Omen, ait, cauſſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

Vi-

Videas demum lauri folium, non oſcitanter ſuperadditum ; pertinet enim ad ſacra ea ſuffimenta , quibus novi anni exordia honorabantur . *Tibul.* II. 5.

Ut ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis ,
Omine quo felix , & ſacer annus eat .

VII.

COELUS.

PRodit nunc primum Deus Coelus , quem licet Veterum ſcriptis notiſſimum , & apud Poenos celebri cultu veneratum , nondum depictum videramus .

Profecto imago , quam ex Lucerna proferimus , apprime reſpondet deſcriptioni illius apud Heſiodum in *Theogon.*

Tellus vero primum genuit parem ſibi
Coelum ſtellis ornatum , ut & ipſam obtegeret . . .

Fertur enim quadam vehementi majeſtate ab omni terrae contactu immunis , atque ſublimis , peplum , quo terram obtegat , late extendens , cujus fimbriae ventis hinc inde agitantur . Peplum ipſum oſtentat ita ſinuatum, ut coeli ambitum repraeſentet . Sic Orpheus in *Hymno Coeli .*

O Munde Pater in ſphoeram volute circa terram
Coeleſtis , terreſtriſque omnia complectens .

Fertur a dextra in ſiniſtram , quo illius ab oriente in occidentem revolutio ſignificatur , unde Veterum morem conſtantiſſime agnoſcimus , quo per dexteram orientalis coeli plaga ſignificatur , occidentalis per ſiniſtram ; quod nobis ſemel animadverſum , plurimum ſubinde ad veterem religionem auguralem explanandam lucis afferet , quum de Lucernis ad eam pertinentibus diſſeremus . Sol , & Luna oppoſita ſunt , ut per hanc ſyzygiam , qua ſolis lumen directo fertur in Lunam , ejus plenilunium indicetur .

Alterum in hac Lucerna notatu dignum occurrit, quod vix alibi reperietur ; ſtellas nempe variae magnitudinis

a numero radiorum internoſci. Stellae plerumque quatuor mucronibus exprimuntur ; nam ſi multiplici radio aſtrum occurrat , non ſtella , ſed ipſe Sol indicatur , ut opportunius oſtendemus .

VIII.

NOX.

DEam Noctem peculiari cultu Romani proſequuti ſunt . Ovid. *Faſt.* I. 155.

Nocte Deae Nocti criſtatus caeditur ales ,
Quod tepidum vigili provocet ore diem .

& Horatius lib. III. *Od.* 28.

Dicetur merita Nox quoque naenia ;

ejuſque venerationem jam inde ab Aeneae temporibus uſitatam innuit Virgilius *Aen.* VI. 248.

. . . . Ipſe atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum , magnaeque ſorori
Enſe ferit .

Noctem ex Chao genitam ſcribit Heſiodus in *Theog.* qui duobus verſiculis mirifice explicat hanc Lucernam .

Ex Chao vero Erebuſque , nigraque Nox editi ſunt .
Ex Nocte porro Aetherque , & Dies prognati ſunt ;

idem fere tradidit Cicero de *Nat. Deor.* ex Nocte , & Erebo , Aether , atque Diem natos eſſe , eorumque fratres , ac ſorores ; quo in loco docemur, haec omnia ex Graecorum mythologia in religionem Romanorum tranſiiſſe .

Proſilit ſuperne alatus Dies , quaſi Phoſphorus , facem attollens ; iſque fertur a dextra in ſiniſtram , Solis vertiginem imitatus , dum e peplo noctis evolat Aether , ut *Jovis ſublime palatium obtineat* , ut cecinit Orpheus in ejus *Hymno ;* Nox prona terram occupat . Illam Graeci curru vectam tradiderunt : Orpheus in *Hymno* :

Nox amica omnium , equis vecta , noctu ſplendens ;

& Apollon. lib. III.

Nox injecit equis juga ;

at

at Latini otioſam, atque dormientem delinearunt; quapropter illam vocarunt *intempeſtam*, ut Virgil. *Georg.* lib. 1. & *Aeneid.* III. 12.; praeterea ita terrae incumbentem, ut quodammodo Erebum, & Tartara amplecti videatur, inde enim ejus origo, & illuc regreſſus. Orpheus

Quae lucem emittis ad inferna, & rurſus fugis
In infernum;

& Euripides

Verenda, verenda Nox,
Quae das ſomnia miſeris mortalibus.
Ex Erebo veni.

Notanda inſuper eſt corporis illius ſcitiſſima diſpoſitio; genua, & pedes in occidentem convertit, quo progreſſum umbrae, & opacae pyramidis revolutionem Soli oppoſitam indicet; vultu tamen retrorſum converſo in orientem reſpicit, unde dilapſa eſt, & quo perpetua vertigine revertitur, peplum ampliſſimum pandens, &, ut ait Virg. *Aeneid.* 1.,

Involuens umbra magna terramque, polumque.

Omnia itaque in typo noſtro mythologiae Veterum religioſe adeo reſpondent, ut ſi cum caeteris imaginibus conferatur, nulla ferme noſtram antecellat, etſi illa, quam deſcribit Pauſanias l. 5. c. 18., perpendatur. *Viſitur mulier puerum album dormientem dextera manu geſtans, ſiniſtra vero puerum nigrum dormienti ſimilem, qui ambo diſtortos pedes habent. Quid haec ſint, docent inſcriptiones, quod tamen his deficientibus intelligi facile poſſet, nempe duos pueros eſſe Somnum, & Mortem, ac Noctem eſſe utriuſque nutricem.* Ea vero Lucerna Bartoli *Par.* 1. 8., qua Somni imaginem repraeſentari exiſtimavit Bellorius, quiſquis vel a limine antiquitatis ſtudia cognoverit, fatebitur profecto, nihil contineri, niſi Jolen leoninae pelli incubantem, clava, jaculis, & Herculis arcu prope Heſperidum arborem humi projectis, Herculeis interea geniis circumquaque dormientibus. Stilus tamen utriuſque opificii ita reſpondet, ut ex eadem officina utramque Lucernam prodiiſſe merito putem.

Ne quis autem mihi ſuccenſeat nimiam ſedulitatem in mi-

minimis quoque rebus perſcrutandis , ea , quae in prolegomenis praefatus ſum , libenter repetam : nempe Lucernarum autographos , ſive prototypos minime a rudibus figulis , rerumque imperitis fuiſſe productos , ſed a peculiari ſigillatorum officina , ubi ea praeſertim , quae ad religionem pertinebant, peritiſſime diſponebantur , ne quid in illis a patria diſciplina foret alienum .

Lucernam iſtam inter domeſticas referenda ne ſit , an inter ſacras , difficile eſt pronunciare . Habuerunt Veteres ſomni ſocias Lucernas per noctem inextinctas ex iis, quae *omnia nocte vident* , *nil cras meminere* ; at Deae Nocti ſingulari cultu Lucernae accendebantur , quae pro thymiamate in ejus honorem ardebant . Sic Orpheus : *Noctis ſuffimentum Lucernae* .

IX.

CAPUT SATURNI.

QUi in antiquitate illuſtranda notiſſima quaeque faſtidientes , ad ignota Deorum vocabula confugiunt , ut ſtupore peregrini nominis operi admirationem concilient , facile Deum Sabum ſub hac protome recognoſcerent ; quippe cernitur .

. . . . . . *curvam ſervans ſub imagine falcem* ,

quemadmodum a Virgilio deſcribitur *Aeneid.* VII. 179. Nos vero , quoties notioribus Diis poteſt imago aliqua convenire, nunquam aut peregrinis , aut minus obviis aſſignamus , niſi id certiſſima indicia expoſcant . .

Saturnum igitur hac imagine repraeſentari cenſemus . Falcem , ſeu arpen καρχαροδοντα *acutis dentibus* tenet , qua Coelum patrem ſuum eviravit . Heſiod. in *Theog.*

Quem ex inſidiis filius (Saturnus) *prehendit manu*
Siniſtra , *dextra vero immanem coepit falcem* .
Longam, *aſperos dentes habentem*, *carique genitalia Patris*
Feſtinanter demeſſuit .

Fortaſſe mitius aliud officium ea falce deſignatur , arborum nempe inſitio , & vitium cultura . Macrob. *Sat.*
lib.

lib. 1. 7. *Huic Deo inſitiones ſurculorum, pomorumque educationes, & omnium ejuſcemodi fertilium tribuunt diſciplinam;* qua de cauſſa Arnobius illum lib. III. *vitiſatorem, & falciferum* vocat. Profecto, quam priori loco apponendae falcis rationem adduximus, a Romana religione plurimum abhorrere probe noſcimus; expreſſe enim docet Dionyſius lib. II. *Ant. Rom.* tale ab iis Graecorum commentum rejectum fuiſſe. *Neque enim exſectus Coelus a filiis ſuis apud Romanos dicitur.*

X.

SATURNUS.

UNus aliquis e ruricolis Numinibus exiſtimari poſſet Deus, qui in hac Lucerna exhibetur, niſi diadema, quo caput cingitur, Saturnum eſſe manifeſte evinceret; ille enim primus inſigne hoc uſurpavit Tertulliano teſte *de coron. mil.* cap. 7., quo etiam ornamento in Lucerna praecedenti decoratur.

Saturnus Romanorum, ut diximus, totus mitis, atque beneficus, utpote qui culturam arborum inſtituerat, runcinam oſtentat officii ſui adminiſtram, calatumque pomis redundantem, quo immortale beneficium humano generi delatum teſtificatur. Inde Romani inter Saturnaliorum ſolemnia poma quoque miſſitabant. Martial. *lib.* V. *epig.* 18.

Quod tibi Decembri menſe, quo volant mappae,
Gracileſque ligulae, cereique, chartaeque,
Et acuta ſenibus teſta cum damaſcenis,
Praeter libellos vernulas nihil miſi.

Haec Lucerna inter ſacras reponenda eſt, inter illas, inquam, quae in Saturnalibus accendi ſolebant, quemadmodum notat Macrobius *Satur.* lib. 1. cap. 7. ubi hujuſce moris originem late deſcribit.

X I.

QUATUOR ANNI TEMPORA.

ANni tempora proprio vocabulo Horae appellantur. Macrob. *Satur.* l. 1. c. 21. *Et quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, Horae ſunt.* Plin. l. 9. c. 35. *Hos ubi genitalis anni ſtimulaverit Hora.* Horat. *epiſt. ad Piſones*,

Qui purgo bilem ſub verni temporis Horam;

propterea ωραι Deae tempeſtatum praeſides finguntur, & Solis comites. At Homerus illas Coeli oſtiarias fecit, *Iliad.* E. 749.

Et portae Coeli ultronee apertae ſunt, quas cuſtodiebant Horae;

quem ſequutus videtur Ovid. *Faſt.* 1. 134.

Praeſideo Coeli foribus cum mitibus Horis;

cuius nominis etymon explicat Cenſorin. *de die natal.* cap. 19. *Sunt qui tradant hunc annum trimeſtrem Horum inſtituiſſe, eoque ver, aeſtatem, autumnum, hyemem* ωρας, *&* *annum* ωρον *dici, & Graecos annales* ωρους, *eorumque Scriptores* ωρογραφους.

Has Heſiodus in *Theogon.* e Jove, & Themi natas fabulatur.

Poſtea Jupiter duxit ſplendidam Themin, quae peperit Horas
Eunomiamque, Dicenque, & Irenem florentem;

quibus, uti anni temporum cuſtodibus, Athenienſes primitias fructuum cujuſcunque tempeſtatis in feſtis, quae ωραια θυειν vocabantur, deferebant, de quibus Heſychius.

Verum Pauſanias *lib.* 9. non tres, ſed duas Horas ab Athenienſibus cultas memorat, quae Carpus, & Thallotis vocabantur, quod prima fructus ferret, ſecunda germinationi praeeſſet. Porphyrius autem apud Euſebium *de praeparat. Evangel.* lib. III. cap. II. duas coeleſtes, Solis cuſtodes; terreſtres alias, Cereris famulas fuiſſe perhibet.

Romanae mythologiae propius acceſſit Philoſtratus lib. II. *Imag.* qui quatuor Horas choreas ducentes inducit, quibus, quod hyemi, veri, aeſtati, autumno praeeſſent pro-

proprios unicuique fructus attribuerunt, quorum colores imitatae Circenſium ludorum factiones, myſtice diſcernebantur teſte Tertull. *de Spectac.*

At quod Graeci per Deas, Romani per Genios praeſtiterunt. Hi plerumque Diis non miniſtras, ſed miniſtros aſſignarunt, ut alibi oſtendemus; quapropter haec anni tempora frequentiſſime in ſarcophagis puerili vultu effinguntur, & calathis propriae tempeſtatis fructus attollunt: Hyems hiberna poma, Ver pineas nuces, Aeſtas ſpicas, uvas Autumnus, ut luculenter prae caeteris evincit ingens ſarcophagus, qui Eugubii in clariſſimo Olivetanorum Coenobio viſitur, qui & operis elegantia, & frequentia parergorum ſummo in pretio habendus eſt. Digna quoque eſt, ut hoc loci recenſeatur cineraria urnula marmorea, quae in opulentiſſimo praeſtantiſſimi Oliverii mei muſaeo aſſervatur, in qua veluti per ſymbola haec anni tempora indicantur. Decuſſantur ſub epigraphe duo copiae cornua, quorum quodlibet quatuor fructuum genera anni temporibus reſpondentia ſervat; medius aſtat Genius dator bonorum omnium, ut putabant, & qui *praepoſitus erat*, *&* *vim habebat omnium rerum gignendarum*, ut tradit D. Auguſt. *de Civit. Dei* l. VII. c. 13. ſub cujus tutela proinde Horarum fructus eſſe putabantur.

XII.

VESTAE CAPUT.

VEſtae Lucernam hanc aſſignavi tenui ſane argumento motus, quod nempe caput velatum habeat, communi certe more Deabus omnibus, & Auguſtis feminis, quum in Dearum numerum relatae fuiſſent. Liberum propterea in hac re unicuique judicium eſto. Quae ſemel vulgari debuerat, placuit, ut primo hoc loco ederetur.

Cur Opi Veſtam praepoſuerim, ſive mavis conjunxerim, in promptu cauſſa eſt, quod nempe cum ipſa fa-

cile confundatur. At clamant Mythologi Veſtam Opis filiam fuiſſe. Ovid. *Faſt.* VI. 285.

Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatam
Semine Saturni, tertia Veſta fuit.

Verum duas Veſtas diſtinguamus neceſſe eſt; primam, quae eadem ac Ops, Matrem appellatam, quod tres filios, totidemque feminas peperiſſet; alteram prioris hujus filiam, quae ſterilis fuit: Primam illam Veſtam memorat Dionyſ. l. 11. *Veſtae autem dicatum eſſe ignem putant, quod quum Dea haec ſit Tellus, mediumque teneat Mundi locum, ignes illos in ſublimi ex ſeſe accendat.* Ovid. *Faſtor.* VI. 267.

Veſta eadem eſt quae Terra; ſubeſt vigil ignis utrique;
Significant ſedem terra, focuſque ſuam.

Hinc ſcitiſſime, qui nihil fortuito pronunciavit, Virgilius *Georg.* I. 498. Veſtam Matrem nuncupavit.

Dii Patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quae Tuſcum Tyberim, & Romana Palatia ſervas;

primam Veſtam indigitans; Matris enim nomen minime dignitatis cenſendum eſſe vel ex eo conſtat, quod nuſquam Palladi, aut Dianae tributum inveniatur; At Veſta recentior ſterilis, & innupta praedicatur. Sic Ovid. *Faſt.* VI. 287.

Utraque nupſerunt; ambae peperiſſe feruntur,
De tribus impatiens reſtitit una viri.
Quid mirum, Virgo ſi virgine laeta miniſtra
Admittit caſtas in ſua ſacra manus?

& rurſus

Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo eſt, quae ſemina nulla remittit,
Nec capit; & comites virginitatis amat.

XIII.

VESTALIS ARAE ASTANS.

ARa ipſa fatali igne exardeſcens ſatis ſuperque Veſtam indicat, nihil enim in templo ejus venerari

niſi

niſi ignem quacunque ſecluſa imagine ; tradit Ovidius *Faſt.* VI. 295.

Eſſe diu ſtultus Veſtae ſimulacra putavi ,
Mox didici , curvo nulla ſubeſse tholo .
Ignis inextinctus templo celatur in illo ,
Effigiem nullam Veſta , nec ignis habent .

Hunc *ignem foci publici ſempiternum* vocavit Cic. *de Legib.* II. 8. & paullo poſt *focum Urbis* , quod *ad ſimilitudinem coeleſtium ſyderum cuſtos Imperii flamma vigilaret* , ut ait Florus *lib.* I. *cap.* 2.

Mulier , quae ad aram velum , ſive vittam attollit , Veſtalis Sacerdos exiſtimari poſſet , niſi veſtitus ipſe parum Veſtalem decere videretur , quum illae vel longa ſtola operirentur , ut in vetuſtis ſimulacris repraeſentantur , vel toga , quemadmodum innuit Feſtus in V. *Armata. Armata dicebatur Virgo ſacrificans , cui lacinia togae in humerum rejecta* ; niſi forte Veſtalem novam eſſe velimus , quae e populo ſorte lecta ad ſacra arcana admoveatur , nondum matronali ornamento inſignita .

Sane de his antiquis monumentis , quae nullis certis ſymbolis diſtinguuntur , impudentis hominis eſſet ſententiam ferre , neque enim omnia novimus , & qui proavos inventis antecellimus , facile a nepotibus ſuperabimur . Multa adhuc invidet nobis oblivio temporum , ut poſterorum ingenia aliquid ſibi perſcrutandum ſupereſſe intelligant .

Si locus eſt conjecturae , quae tamen a Veſtae myſteriis oppido aliena eſt , anne nova nupta hoc typo repraeſentatur , quae ante Larium privatorum focum flammeum nuptiarum indicem capiti inducit ?

X I V.

CAPITA TELLURIS , JOVIS , SOLIS , ET LUNAE.

TElluri potius , quam Diis caeteris , quorum capita circumquaque diſpoſita ſunt , Lucernam iſtam

adſcribendam duximus ; quum virtutes illorum omnium in unius Terrae beneficium conſpirare , & quodammodo famulari videantur . Supereminet Juppiter , qui eſt, ut ait Macrob. *in Somn. Scipion.* lib. 1. c. 17. *apud Theologos Mundi anima* . Hinc illud

Ab Jove principium , Muſae , Jovis omnia plena.

Etenim in primaeva illa elementorum partitione , qua Jovi contigit coelum , terrae commercio ipſe caruit ; utinam ſemper caruiſſet ; terra quippe omnibus inde communis fuit . Homer. *Iliad.* O. v. 190.

Quippe ego (Neptunus) *ſortitus ſum canum mare habitare ſemper*
Motis ſortibus ; Pluto autem ſortitus eſt caliginem obſcuram;
Juppiter autem ſortitus eſt coelum latum in aethere , & nubibus;
Terra autem adhuc communis omnium , & altus Olympus.

Medius inter Jovem , & Tellurem Sol adſpicitur , *quia Solem Jovis oculum appellat antiquitas* . Macrob. *Satur. lib.* 1. c. 21. Quod vero in Lucerna iſta peculiare eſt, Sol ad laevam diſpoſitus , quae occidentis plaga eſt , ad orientem convertitur . At ne oſcitanter id factum eſſe exiſtimemus, animadvertendum eſt , propriam Solis vertiginem eam eſſe , ut ab occidente in orientem feratur motu pene contrario viſibili illi , atque violento , quo in occidentem ex oriente movetur ; quod etiam Macrobius ſcripſit in *Somn Scip* lib. 1. cap. 18. *Sol quoque ipſe non aliter , quam ab occaſu in orientem movetur* .

De Solis vero , & Lunae in ſubditam Terram poteſtate ita proſequitur memoratus author *cap.* 19. *Vitam vero noſtram praecipue Sol , & Luna moderantur . Nam quum ſint caducorum corporum haec duo propria , ſentire , vel creſcere :* αισθητικον , *ideſt ſentiendi natura ; de Sole :* φυτικον *autem , ideſt creſcendi natura , de lunari ad nos globoſitate perveniunt . Sic utriuſque luminis beneficio haec nobis conſtat vita , qua fruimur .*

X V.

X V.

SEPTEM PLANETARUM CAPITA.

SEptem Planetarum capita ita circumſtant Terram *complexam medium Mundi locum*, quemadmodum ait Macrob. *in Somn. Scip.*, ut ſuas in illam vires exercere videantur.

Mihi tamen arridet magis obvia ſignificatio: Deos nempe hebdomadae praeſides, a quibus ſinguli dies nomen acceperunt, in hac Lucerna contineri, quorum dierum perpetuo labore tellus exculta, neceſſaria omnia ſuppeditat. Uſus tamen iſte computandorum temporum per hebdomadas apud Romanos minime antiquus fuit, qui Hetruſcos imitati menſes per Kalendas, Eidus, & Nonas partiebantur. Novi moris originem recenſet Dio *lib.* 37. *Quod his ſeptem ſtellis, quae Planetes vocantur, dies aſſignari receptum eſt, inventum quidem putatur Aegyptiorum, ſed tamen in omnes homines non ita pridem vulgari receptum eſt. Caeterum Graeci veteres, quantum quidem ſciam, nullo prorſus pacto eam rem cognitam habuerunt. At vero nationibus cunctis, maxime vero Romanis, hic mos vulgatus eſt, ut quaſi patrius videatur.*

Kalendae, Eidus, & Nonae a Rege ſacrificulo ſingulis menſibus plebe convocata ad Curiam Calabram edicebantur, quintanae quinquies dicto verbo *Kalo*, ſeptimanae ſepties repetito; hinc vox *ſeptimana* pro hebdomada ad nos uſque pervenit.

X V I.

CYBELES.

CYbeles, Berecynthia, Ops, Rhea, & quocunque vocetur nomine, nihil plerumque aliud eſt, niſi Tellus. Hanc Deorum ex Chao primogenitam recenſet Heſiodus *in Theogon.*

Primo quidem omnium fuit Chaos, at deinde
Tellus lato pectore prodita......

Tel-

Tellus vero primum genuit quidem parem ſibi.
Coelum . . . . . .

Verum certiſſimum ſacrarum Literarum teſtimonium, cui refragari nemo poteſt, rem aliter ſe habuiſſe docet. *Gen.* 1. 1. בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ. Ne tamen Heſiodum falſi arguamus, altius repetendum eſt, quid utroque loco ſub Terrae nomine intelligatur; neque profecto futilis labor divina humanis conciliare, quum inde deduci poſſit, Ethnicos etiam humanis traditionibus ſubnixos pleraque de rerum creatione recte ſenſiſſe, quodam veluti pignore Chriſtianae Religionis, ut Gentium animi Evangelicae veritati minus aliquando repugnarent.

Moyſes igitur in ipſo Scripturae exordio, quaſi totius divinae hiſtoriae compendium praepoſuit; quo a primo uſque elogio doceremur, rerum omnium, quae ſurſum, quaeque deorſum ſunt, Deum fuiſſe creatorem, qui maximus ſcribendae Geneſeos finis fuit; & ſub nomine השמים ואת הארץ coelum, quod intuemur, terramque, quam premimus, intellexit. Dein ordinem, quo quaeque facta ſunt, exponens, materiam primam, ſive elementum primigenium, ut D. Auguſtinus docuit lib. 1. *con. Manich.* cap. 7., praeponit ſub nomine terrae informis. והארץ היתה תהו ובהו, *& terra erat inviſibilis, atque incompoſita*; ſeu, ut Vulgata habet, *inanis, & vacua*.

Haec vero proprie *Terra* non erat, neque talis profecto dici potuit, niſi quum apparuit היבשה *hajabaſciah arida*. Ex ea itaque maſſa omnia continente, & in qua lucis, & tenebrarum poteſtas erat, lucem eduxit, quum ויאמר יהי אור ויהי אור *Dixit: ſit lux, & fuit lux.*

At Coelum ſecunda die ex תהום *Abyſſo* ſegregavit. ויקרא אלהים לרקיע שמים ויהי ערב ויהי בקר יום שני; *& Vocavit Deus extenſum Coelum, & fuit veſper, & fuit mane dies ſecundus*. Quod ut manifeſtius appareret, ubi divinus Hiſtoriographus cap. 11. 4. per anacephaleoſin Mundi geneſin iteravit, qua latina verſio habet: *In die, quo fecit Dominus Coelum, & Terram*, litera Hebraea habet ארץ ושמים *Herez Veſciamaim: Terram, & Coelum*,


lum , Terram nempe תהו ובהו *Thobu* & *Bohu inviſibilem* , & *incompoſitam* , e qua inde Coelum , caeteraque elementa deducta ſunt , ut aperte teſtatur etiam D. Auguſtinus *loc. cit.* & c. 12.

Hanc igitur primaevam terrae materiam Chaldaei intellexerunt , quum omnia fabulis involventes Deam hanc excogitarunt , quod apertiſſime ex Orphei *hymno in Rheam* intelligi poteſt .

Veneranda Rhea in principio genita
Mater quidem Deorum , & *mortalium hominum ;*
Ex te enim & Terra , & *Coelum latum ſuperius*.

Qui igitur ex Chao , ſive Deo *Primogenito* primum Terram creatam dixerunt , a veritate non aberrarunt , ſi pro Deo *Primogenito* אלהים Moyſis intelligatur , qui primum quidem creavit Terram *inviſibilem* , & *incompoſitam*, ſeu informem materiam , e qua deinde Coelum, & Terra היבשה *hajabaſciah* , *habitabilis* , educta ſunt.

Illud etiam notandum in Lucerna noſtra , quod Deae biga ſiniſtrorſum incedit , & manu laeva Cybeles cymbalum pulſat ſingulari exemplo . Id incuriae ſigillatoris tribuendum puto , qui Deam dexteram in typo finxit, non praecavens inde in ectypo ſcaevam erupturam . Eadem oſcitantia figulinae Romanae Muſaei noſtri ſigillum commendat .



Fundus Criſpiniani Bipedalis : nomen menſurae lateris , quae a Vitruvio *lib.* 1. *cap.* 3. Δυοδωρον appellatur . Vidiſſe memini apud Cl. Arrigonium aſſem Romanum cum averſa inſcriptione AMOЯ . Vidi demum , his ipſis diebus Piſauri Anaſtaſii Auguſti ſemi ſolidum aureum cum hac epygraphe MVЯOC∽VƆVA AIЯOTƆIV , quae placuit animadvertere , ne ad explicanda haec , quae omni prorſus carent myſterio , ad Etruſcorum Acheronticos libros confugiamus .

Deae

Deae imago curriculo vehitur, cujuſcemodi *Thenſas* Romani appellabant; iis per circum in ſolemniis Deorum ſimulacra ferebantur, veris quandoque animalibus junctis, quandoque & fictitiis, ut notavit Bonarot. *in Gem. Bacchan. pag.* 449. Omnium vero ſacrorum ſpectaculorum Megalenſia in honorem Magnae Matris prima erant, teſte Ovid. *Faſt. lib.* IV.

XVII.

ATYS ΔΕΝΔΡΟΦΟΡΟΣ.

ATyn in hac Lucerna dubio procul agnoſcimus, non modo ex Phrygio cultu, verum etiam ex procera, quam manu tenet, pinu, quae potiſſime illi congruebat. De celeberrima hac caeremonia, quam Graeci Δενδροφορίαν nuncupabant, Arnobius. lib. v. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deum Matris intermittitis ſanctuario? nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcens intulit, & Genetrix Divum in ſolatium ſui vulneris conſecravit?*

Sane *Dendrophori* officium ad Sacerdotes pertinebat. Veteres tamen, quoniam Deos ipſos ſacrificantium more frequenter exprimebant, ut ſupra demonſtravimus, non ſolum dendrophororum habitu illos efformarunt, ſed eo etiam nomine appellaverunt. Hinc apud Gruterum pag. LXIV. 7. exſtat Inſcriptio *Silvano Dendrophoro* dicata.

Deus iſte Phrygiis idem prorſus fuit, quod Adonis Phoeniciis, & Oſiris Aegyptiis, nempe Sol ipſe fabularum integumentis involutus, qui ab omnibus quotannis velut mortuus plorabatur, & rurſum redivivus triſtitiam myſteriorum depellebat. Sic ad rem Macrob. *Satur. lib.* I. *cap.* 21. *Praecipuam autem Solis in his caeremoniis* (Attinis) *verti rationem hinc etiam poteſt intelligi, quod ritu eorum* καταβάσει *finita, ſimulationeque luctus peracta, celebratur laetitiae exordium ad octavum Kalendas Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit. Idem ſub diverſis nominibus religio-*

nis

nis effectus eſt apud Aegyptios, quum Iſis Oſirim luget .... eademque ratio, quae circa Adonim, & Attinem vertitur, in Aegyptia quoque religione luctum, & laetitiam vicibus annuae adminiſtrationis alternat.

Quia vero haec ſolemnia tunc peragebantur, quum Sol in arietem progrederetur, ut notat Dempſter. *in Roſin.*, *lib.* 4. *cap.* 7. *de Menſe Martio*, factum eſt, ut & Atys quandoque ſub arietis forma cultus ſit, & aries frequenter ei tribuatur. In gemma Muſaei Carpinei apud Bonarot. Atys inſidet arieti; itemque in marmoreo ſimulacro, quod vidi dudum Romae in hortis Pamphiliis in Janiculo. Qua propter inſtitutum eſt, ut criobolio coleretur; quia etiam ab ariete Atyn denominatum dicit Arnobius eodem lib. v. *Atagos* enim apud Phryges, ut ipſe tradit, Aries eſt, qui a Graecis modica inverſione τραγος dicitur.

Alteram quoque hujus congruentiae rationem adducit Macrob. *in Somn. Scip. lib.* 1. c. 21. quod nempe *die illo, qui mundi natalis fuit Arietem in medio Coelo fuiſſe, & quia medium Coelum quaſi mundi vertex eſt, arietem propterea primum inter omnes habitum, qui ut mundi caput exordio lucis apparuit.* Et paullo poſt. *Ajunt enim in hac ipſa genitura mundi ariete, ut docuimus, medium coelum tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis.*

XVIII.

ATYS VENATOR.

ATys ne, an Ganymedes hic repraeſentetur, adhuc ambigo; primum quippe nunquam venatoris habitu vidiſſe memini, qui cultus apprime Ganymedi convenit. Virgil. Aeneid. v. 252.

Intextuſque Puer frondoſa regius Ida
Veloces jaculo cervos, curſuque fatigat
Acer anhelanti ſimilis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Pineae ramuli, qui abſolutiſſimi operis Lucernam ambiunt,

biunt, parergi loco apte, congruenterque hinc inde apponuntur; per eos enim fabulae locus hujuſcemodi arborum feraciſſimus indicatur.

Si vero Atyn expreſſum velimus, quum forte vacuus miniſterio Matris Deum Sangarithidem Nympham deperibat, palmites illi, truncum, in quem mutatus fuit, commemorant. Ovid. *Metam.* x. 102.

Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus
Grata Deum Matri, ſiquidem Cybelejus Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Fortaſſe etiam, quum haec Lucerna ad Megalenſia Matris Deum referenda ſit, idcirco pineae rami, nuceſque adduntur, quod illis templum ejus Deae ornabatur, & ſacrificulorum coronae conſtabant, Arnobio teſte lib. v. *adu. Gent.* Illis etiam tympana pulſari ſolebant, ut, ſi caetera deeſſent teſtimonia, Lucernae plures Muſaei noſtri ſatis ſuperque fidem facerent.

In uſu quoque in monſtroſis Cybeles caeremoniis pinus rami fuere, quibus planctus inter & ululatus furentium Sacerdotum pectora tundebantur. Stat. *lib.* x. *Thebaid.* v. 172.

...... *Quatit ille ſacras in pectora pinus,*
Sanguineoſque rotat crines;

& Claudian. lib. i. in *Eutrop.*

Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

XIX.

ATYS SACRIFICANS.

HOc Lucernae fragmentum amiſſae partis jacturam, ſuperſtitis eruditione compenſat. Sedet Cybeles, leunculis hinc inde throno aſſidentibus, qualem in templo Beli ex auro Semiramidem dedicaſſe ſcribit Diodor. Sicul. lib. ii.. Unde colligere poſſumus hujus Numinis commentum, non a Graecis, aut Aegyptiis, ſed a primis uſque Aſſyriorum deliriis incoepiſſe.

Phry-

Phrygio cultu e regione aſtat ſacrificus Atys, nempe Dea, ut ait Ovidius *Faſt.* IV. 223.

Hunc ſibi ſervari voluit, ſua templa tueri.

At peculiari obſervatione digna ſunt liba, quae in duplicis placentae formam arae imponit; in iis enim ſcitiſſime ſigillator expreſſit molas illas praecipuas, quibus veteri inſtituto Cybeli faciebant. Daps haec, quam *Moretum* appellabant, fiebat ex allio, apio, rutha, coriandro, bulbo, caſeo, oleo, & aceto; cujus quidem conficiendae rationem adamuſſim refert auctor poematis, cui titulus *Moretum*, a qua mixtura pinſenda *Mortarium* dictum eſſe, quaſi *Moretarium* ex Turnebo, & Scaligero arguit doctiſſimus Voſſius in Etymolog.

Moreti uſum, & rationem in ſacris Cybeles refert Ovid. *Faſt. loc. cit.* v. 365.

Non pudet herboſum, dixi, poſuiſſe moretum
In Dominae menſis? an ſua cauſſa ſubeſt?
Lacte mero veteres uſi narrantur, & herbis,
Sponte ſua ſi quas terra ferebat, ait.
Candidus elixae miſcetur caſeus herbae,
Cognoſcat priſcos ut Dea priſca cibos.

X X.

CERES ΔΑΔΟΥΚΟΣ & ΕΡΙΝΝΥΣ

SPicis in hac Lucerna coronatur Ceres, quae alibi velata viſitur, & cum loto; neque tamen ſingulare id exiſtimandum eſt; talem enim deſcribit Ovidius *Amor.* lib. III. el. 10.

Flava Ceres tenues ſpicis redimita capillos.

item *Faſtor.* IV. v. 614.

Impoſuitque ſuae ſpicea ſerta comae.

Hinc inde taedas habet, illas nempe, quas Aetnae ignibus accenſas, dum Perſephonem filiam quaereret, uſurpavit. Ovid. *loc. cit:*

Illic accendit geminas pro lampade pinus,

a quibus δαδοῦχον illam Graeci, & *taediferam* Latini dixerunt; inde Ovidius *Heroid.* epiſt. II. 42.

Et per taediferae myſtica ſacra Deae.

Profecto memoratae faces doloris quondam ſui conſciae, ac tandem, reperta filia, laetitiae participes, perpetuo adhibitae fuerunt in ſacris Eleuſiniis, quae noctu procedentibus cum face matribus celebrari conſueverunt. Unicum Ovidii teſtimonium affero ex cit. lib. IV. *Faſtor.*

Hinc Cereris ſacris nunc quoque taeda datur.

Facibus circumvolvuntur dracones, qui Cereri non una de cauſſa tribuebantur; iis enim proprio curriculo junctis orbem peragravit; idem Ovidius *l. lau.*

Quo ſimul ac venit, fraenatos curribus angues
Junxit, & aequoreas ſicca pererrat aquas;

eoſdem Triptolemo etiam conceſſit; in draconem denique & ipſa mutata eſt, quae omnia vulgaria.

Calathus infra additus, herbis, ſeu ſpicis onuſtus ritum illum commemorat, quo frugum primitiae Cereri offerebantur. Diodor. Sicul. *lib.* I. *Signa hujus inventae ſegetis ferunt, quod ab Aegyptiis veteri lege & nunc quoque obſervatur, ut meſſores aeſtate ſpicas maturas excerpant in Deae oblationem;* quem morem ſequuti ſunt Romani, ut Virgilius docet. I. *Georg.* v. 338.

In primis venerare Deos, atque annua magnae
Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis
Extremae ſub caſum hyemis.

Fragmentum eidem tabulae XX. ſuperadditum protomen refert *Cereris Erynnis*. Ipſa enim per dolum a Neptuno compreſſa, & in furias acta ερινυς ab Arcadibus vocata eſt, eoque ſub nomine culta. Hujus effigiem *in Arcadicis* deſcribens Pauſanias, manu dextra facem geſtaſſe memorat, ciſtam vero myſticam ſiniſtra.

Corona ſpicea, quae tab. XXXIV. exhibetur, praetermittenda non erat, quum coronae hujus generis perraro admodum in vetuſtis monumentis occurrant. Pertinet illa ad ſacra Cereris, cui pro fauſto meſſium ſucceſſu coronas ex ſpicis dedicabant. Tibul. lib. I. Eleg. I.

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores.

Et Ovid. *Metam.* X.

Pri-

Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum ,

Et Horat. *Carm. Saecul.*

Fertilis frugum , pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona .

XXI.

CERES CUM GEMINO COPIAE CORNU.

PRaeter ciſtam , papavera , ſpiceam coronam , atque ſerpentes inſignitur Ceres in hac imagine gemino copiae cornu , quod Genio , Deabuſque fere omnibus tribuebatur ; ipſi vero Cereri non immerito , nam praeter frugum beneficium , etiam

. . . . . . *Divitiarum datrix ;*
Divitias praebens Dea ; omnium datrix ;
Et divitias praedivites adducens,

vocatur ab Orpheo in ejus hymno ; cujus quidem potiſſimi officii ſymbolum cornua ſunt .

Dracones, qui pro pedibus Cereris viſuntur , alati ſunt; cujuſmodi obſervantur in anaglyphis , in quibus ejus myſteria referuntur inter *Admiranda Romanae Magnitudinis Veſtigia* .

XXII.

CANDELABRUM CERERIS.

CEres ſimili plane cultu frequenter occurrit , ac praeſertim in aeneis , & fictilibus ſigillis, quorum unum ex domeſtico Muſaeo vulgavit Fabrettus *Inſc. Dom.* pag. 493. In eo autem ſingularia ſunt pepli volumina inſolenter omnino recurrentia ; quam quidem formam praecipuam illi , & propriam fuiſſe facile mihi perſuadeo . Accedit orarium , ſive ςεμικινθιον ab humero in oppoſitum ilium dependens ; perrarum admodum in vetuſtioribus ſignis , obvium vero in iis , quae ad quartum, & quintum Eccleſiae ſaeculum pertinent .

Flos

Flos loti in ipſa Romanorum Cerere Aegyptiam Iſidem indicat, additis e Graecorum religione taeda, & papaveribus, quae numquam in Aegyptiorum ſignis apparent. Papaver, prae ſeminum abundantia fertilitatis omen, Cereri potiſſimum tribuitur; atque inde *Cereale* nuncupatur. Virgil. *Georg.* I.

Nec non & lini ſegetem, & Cereale papaver.

Potuit equidem candelabrum iſtud domeſtico uſui addici, ad coenacula nempe illuſtranda eo tempore quo Cereris ſolemnia peragebantur; tunc enim, ut jejunium afflictae Cereris imitarentur, cui, ut Callimachus inquit in ejus *Hymno*,

Veſper, qui ut biberet Ceres, ſolus ei perſuaſit,
Quum raptae ignota proſequeretur veſtigia filiae;

religionis ergo noctu dumtaxat ad lychnos epulabantur. Ovid. *Faſt.* IV.

Quae quia principio poſuit jejunia noctis,
Tempus habent coenae ſidera viſa ſibi.

Ac quamquam Lucernae coenatoriae penſiles eſſent, abacos tamen, & anclabria ſtantibus Lucernis inſtruebant, ut plurima vetera monumenta evincunt; praeterquam quod nullus dubito, plebejos homines humiliori conſuetudine triclinio ſuo Lucernulam ſtatuiſſe, quae paullulum aſſurgens *undantium Lucernarum*, ut ait D. Paullinus, vicem obtineret.

Verum religioſo etiam uſui deſtinatum fuiſſe ſuſpicari poſſumus ex ſuperiori ipſius candelabri parte, in qua Bacchi, & Cereris capita copulantur; communi enim ea Numina ſolemnitate colebantur, in qua ante Lares toga adoleſcentulis dabatur, ut Ovidius tradit *Faſt.* III. 785.

Luce ſua ludos uvae commentor habebat,
Quos cum taedifera nunc habet ille Dea.
Ergo ut Tyronum celebrare frequentia poſſet,
Viſa dies dandae non aliena togae.

Bacchus autem, & Ceres idcirco ſociabantur, quod cibi, atque potus, unde vivimus, crederentur auctores, ſive quod ſecretiore diſciplina Solem, & Lunam referrent; inde Virgil. *Georgic.* I.

Vos

. . . . Vos , o clariſſima Mundi
Sydera , labentem coelo quae ducitis annum,
Liber , & alma Ceres ;

quod etiam eo in loco probe animadvertit Servius ; Huc etiam ſpectat *Diodor. Sicul.* lib. 1. *Oſiridem interpretantur Dionyſium Iſidem vero Cererem ;* hinc ab Orpheo in ejus *Hymno* nuncupatur βρομιοισι συνεστιος *Dionyſiacis convictrix .*

X X I I I.

C A P U T J O V I S.

JUppiter , quem ex fulmine poſt terga poſito haud injuria *Placidum* appellare poſſemus , capite coronato , barba, & capillis calamiſtratis in hac Lucerna exhibetur. Hanc autem cirrorum religionem etſi aliis etiam Numinibus communem , in Jove praeſertim deridet Prudentius περι στεφανων X. V. 272.

Forceps Mironis , Policleti malleus
Natura veſtrum eſt , atque origo Coelitum ;
Ars ſeminandis efficax erroribus ,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat ,
Dum diffluentem leviter flectit comam ,
Limat capillos .

X X I V.

J U P P I T E R C U M V A S I S P O N T I F I C A L I B U S.

PEnſilis haec Lucerna una fortaſſe aliqua ex iis eſt , quae in delubris ſuſpendi ſolebant . In ſuperiori manubrii parte anclabris repraeſentatur, undequaque Pontificalibus vaſis refertus , quorum ſymbolo quandoque ipſa pietas , ſeu religio ſignificatur , aliquando vero ipſum Pontificis officium , ut nummi evincunt .

Lucernas in templis accendi conſueviſſe in Prolegomenis demonſtravimus , in eorum praecipue Deorum honorem,

rem, a quibus lucem maxime proficiſci exiſtimabatur; inter eos dubio procul cenſebant Veteres Jovem, quem vocat Orpheus in *hymn.*

. . . . . . Magnum, purum, valde ſonantem, clarum,
Aereum, ardentem, in igne currentem, in aere ſplendentem,
Coruſcantem ſplendore, .

In ſacris Sabaziis nocturnas pervigilationes fieri conſueviſſe ſcribit Cicero *de Legib.* lib. II. 15. Ea autem ad Jovem ne, an ad Dionyſium pertinerent dubitari poteſt. Equidem idem Cicero lib III. *de Nat. deor.* 23. in Dionyſii honorem inſtituta fuiſſe ſcribit. Verum quum *Sabazii* cognomen Jovi tribuatur, non ſolum in antiquis Inſcriptionibus Grut. pag. XXII. 4. 5. 6. & Reines cl. I. 256. ſed etiam apud Val. Maximum lib. I. c. 4. & Julium Firmicum *de errore profan. relig.* XI., Jovi potius adjudicanda illa eſſe cenſemus, ac proinde in iis ad nocturnas pervigilationes Lucernam hanc adhibitam fuiſſe. Sabazium, Jovem fuiſſe praeter memoratas Inſcriptiones, & ſcriptores evincit etiam Orphei *hymnus*.

Audi Pater, Saturne fili, Sabazi, inclite daemon,
Qui Bacchum Dionyſium valde rugientem inſutum
Femori inſuens, ut perfectus veniret. &c:

Sabaziorum meminerat fortaſſe Seneca *epiſt.* XCV. quorum loco in editis exemplaribus legitur *ſabbathis*. Nollem nimis audax videri; verum quum ibi Philoſophus ſuperſtitioſos cultus recenſeat, eoſque potiſſimum notet, qui Jovem reſpiciebant, veroſimile maxime eſt pervigilationes, quae in Sabaziis fiebant, intellexiſſe, non vero Judaeorum ſabbatha, quibus Romanos Lucernas religionis ergo accendiſſe nemo tradit; integrum Senecae locum affero; judicium penes eruditiores eſto. *Accendere aliquem Lucernam ſabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis capitur; Deum colit, qui novit. Vetemus lintea, & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni.*

Sed quoniam de Sabazio ſermo incidit, haud erit abs

re

re inquirere utrum a Sabo Sabinorum Deo , cujus meminit Silius Italicus *de Bello Pun.* lib. VIII. 421. , Sabazii Jovis cognomen derivatum ſit . Nominis quidem analogia ſuadet , & Euſthatii authoritas in *Periegeſi* ; vocis praeterea hujus in Etruria , & Latio pervulgata radix , quemadmodum Sabatina tribus , & ejuſdem nominis lacus declarant . Verum quum Orpheus in laudato hymno Sabazium Jovem Phrygiae imperaſſe diſerte ſcribat , e Phrygum theologia appellationem hanc petitam fuiſſe facile patet , apud illos vero ex primigeniae linguae fontibus dimanaſſe potius exiſtimo , nempe a צבא *zaba*, *exercitus* , ex quo appellatus eſt Deus צבאות *zabaoth*, *exercituum* ; quam a σαβάζειν *bacchari* , ut illi exiſtimant , qui Jovem Sabazium eumdem eſſe cum Libero Patre volunt ; quamquam Jovis nomen veluti quoddam divinitatis attributum plurimis Diis commune fuit , ut late oſtendetur , quum de Diis Piſaurenſibus agemus .

XXV. XXVI.

JUPPITER AB AQUILA ELATUS:

FRequentiſſime occurrit in Veterum Lucernis imago Jovis pectore tenus , ab aquila ſublimis acti ; ex quibus octonas ferme Muſaei noſtri praetermiſimus , duabus tantum ſelectis , quae operis elegantia reliquas ſuperare videbantur . In his Jovis triumphum de Gigantibus repraeſentari exiſtimo . Aquilae inſidet Juppiter ; illam enim perditis , & profligatis Titanibus victor conſcendit, quemadmodum tradit Lactantius *de Fals. Relig.* lib. I. c. II. ; Sceptrum tenet , quo indicatur , ut animadvertemus in *not.* ad Jovis Sereni imaginem , placidum ejus imperium incoepiſſe ; aquila vero uncis pedibus fulmen retinet , quia Jovi fulmina , quae in Gigantes jaceret , ipſa miniſtravit , ut Servius docet ad v. 564. IX. *Aeneid.* ; inde *Jovis armiger* dicta eſt a Virgilio *Aeneid.* v. 255.

Si quis autem hoc Jovis typo defunctorum ſuorum apotheoſin Veteres indicare voluiſſe cenſeret , ac propte-

rea hujuſmodi Lucernas inter ſepulcrales annumerandas eſſe, is equidem a vero mea ſententia non aberraret. Neque enim Principes dumtaxat inter Deos relati ſunt; verum etiam procedente tempore impudentiſſima haec aſſentatio ad privatos quoque homines late dimanavit; quod animadvertit pridem oculatiſſimus Bonarotius *Vetr. Ant.* pag. 217. & nos opportunius expendemus. Aquila, quae diſcum Lucernae tab. XXVI. implet, memoratae ſententiae pondus addere poteſt; quum enim fulmine careat, ad conſecrationem omnino pertinere videtur, praeſertim quia in antiquis nummis, in quibus conſecrationis fit mentio, ita ſemper rapraeſentatur.

Ac quamquam fictiles hae Lucernae propter privatorum hominum apotheoſes fieri potuerint, non propterea a Caeſareis funeribus velut indecoras rejectas fuiſſe exiſtimandum eſt; non enim pretioſioribus Lucernis ingentes illas ſepulcrorum moles Veteres inſtruxiſſe credibile eſt, ſed fictilibus his, quas in numerum pene immenſum diligens figulorum cura ſuppeditabat.

XXVII.

AQUILA CUM TROPAEO.

ELegantiſſimi hujus ſphragiſmatis manubrium, lauream, & trophaeum exbibet; diſcus aquilam fulmine inſtructam. Tropaeo equidem, Dacici alicujus vel Sarmatici belli Victoria indicatur; aquila vero non una de cauſſa eidem copulatur; illa enim non modo Jovis Feretrii ſymbolum erat, cui opima ſpolia ferebantur; verum etiam Romani exercitus inſigne, cujus quidem majeſtatem ita repraeſentabat, ut reliquis ſignis, quemadmodum tradit Plinius lib. X. c. 4., in caſtris relictis, *ſola in acie portari paucis ante annis coepta erat*; &, quod caput eſt, Numinis loco adorari ſolebat. Sveton. in *Calig.* c. 14. *Artabanus praetergreſſus Euphratem aquilas, & ſigna Romana, Caeſarumque imagines adoravit.* Tacit. *Annal.* I. 39. *Plancus ſigna, & aquilas amplexus religione ſe*

ſe

ſe tuebatur. Accedit ominis cauſſa; aquilae enim auguria, in re bellica maxime fauſta habebantur, & victoriam portendebant; Jovi quippe id illa praenunciaverat. Lactant. *de Falſ. Relig.* lib. 1. c. 11. *quum ex Inſula Naxo adverſus Titanas* (Juppiter) *proficiſceretur, & ſacrificium faceret in litore, aquila ei advolavit, quam victor bono omine acceptam imperio ſuo ſubjugavit. Sacra vero hiſtoria, & ante conſediſſe illi aquilam in capite, atque illi regnum portendiſſe teſtatur*. Propterea Callimachus *hymno in Jovem* ait:

Sed conſtituiſti avem omnium praeſtantiſſimam nunciam
Tuorum auguriorum.

Id autem, ut planius oſtenderet ſigillator, aquilam expreſſit dextrorſum converſam, alas leniter quatientem; quod optimum quidem augurium putabatur, ut ex Homero colligitur. *Odyſſ. O.*

XXVIII.

JUPPITER CAPITOLINUS.

Singularis profecto exiſtimanda eſt haec Jovis Capitolini imago, coronam ſinu praeferens, quam triumphantes deponere in illo conſueverant. Seneca *de Conſolat.* c. 10. *Scilicet minus beate vivebat Dictator noſter, qui Samnitium legatos audiit, quum viliſſimum cibum in foco ipſe manu ſua verſaret, illa qua jam ſaepe hoſtem percuſſerat, laureamque in Capitolini Jovis gremio repoſuerat*. Plinius lib. xv. c. 30. *Ex his* (coronis) *in gremio Jovis Optim. Max. deponuntur, quoties laetitiam parta victoria attulit*. Et alter Plinius in *Paneg.* c. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea; hanc Imperator Nerva in ſinu Jovis collocarat*. Hinc Statius ut ſignificaret nondum de Indis triumphum actum eſſe *Sylvar.* 1. 41. ait

...... *Nondum in gremio Jovis Indica laurus*.

XXIX.

TEMPLUM JOVIS CAPITOLINI.

PLures apud nos exſtant Lucernae in M. Julii Philippi Aug. ſive praediis, ſive officinis formatae, quas omnes ad Urbem illuminandam in magnificentiſſimis feſtis milleſimo Urbis anno ab Imperatore celebratis, adhibitas fuiſſe, ex iis, quae in prolegomenis praefati ſumus, ſuſpicari recte poſſemus; at omnem omnino dubitationem tollit Lucerna haec cum paucis comparanda III. ejus Conſulatu ſignata, quo ſolennes illos ludos contigiſſe, ſatis conſtat.

Templum in ea Capitolini Jovis exhibetur, in cujus fronte quatuor columnae trina intervalla, ſeu cellas conficiunt, in quibus Jovis, Minervae, & Junonis ſimulacra collocata ſunt. Ita illud deſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis *Ant. Rom.* lib. III. *Tres in eo aedes, ſeu cellae pares, communia habentes latera; media quidem Jovis, hinc & inde Junonis, & Minervae ſub eodem faſtigio, & tecto.* Juppiter ſedet in medio; fulmen dextra, haſtam ſive ſceptrum gerit ſiniſtra. Equidem fulmen praecipuum fuit Jovis Capitolini inſigne. Minut. Felix pag. 18. *Juppiter, quum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina.* Fictile illud olim fuiſſe docuit Ovidius *Faſt.* I.

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Verum C. Flaminio, & Cn. Servilio Coſſ. Decemvirorum monitu decretum fuiſſe, ut fulmen Jovi aureum L. pondo fieret, tradit Livius. Haſta pura, ſive ſceptrum, cui ſiniſtra innititur, ſummam illius in Deos omnes poteſtatem indicat, quemadmodum ſcribit D. Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. IV. c. 9. *Ipſum Deorum omnium, Dearumque Regem eſſe volunt; hoc ejus indicat ſceptrum.* Juno etiam ſceptrum, ſive haſtam puram gerit, quod illi maxime conveniebat, quae Regina appellabatur. Ovid. *Faſtor.* VI. 37.

Cur igitur Regina vocor, princepſque Dearum?
Aurea cur dextrae ſceptra dedere meae?

A de-

A dextris ſedet Minerva, Juno a ſiniſtris, ordine apud Romanos ſolenni, ut animadverterunt jam Fabrettus *de Col. Trajan.* cap. 3. & Bonarotius in *Praefat. ad numiſ. Carpinea* pag. XXVI. quem tamen intervertit ſigillator Lucernae apud Bartol. *Par.* I. 10.

Neque tamen exiſtimandum eſt, extimam Templi partem hac Lucerna repraeſentari; Deorum enim ſimulacra, quae in cellis ſtabant, nequaquam expreſſa fuiſſent; ſed intimum illius proſpectum, aedes nempe, ſeu cellas Deorum. Praeclare Bonarotius ad numiſma VI. Hadriani pag. 19. *Dall' altra parte non ſi dee credere, che quell' abuſo pur troppo comune agli artefici d' adeſſo, e che farà oſcure, e confuſe a' poſteri le noſtre coſe, di farle, non conforme ſono, ma, come ſi dice, idealmente, foſſe altresì appreſſo gli antichi tanto comune, come è adeſſo; anzi eglino erano più puntuali imitatori di quello, che veramente era; nè ſi facevano tanto lecito d' eſprimere le lor coſe, azioni, abiti, e tempj d' altra, e differente forma da quello, che veramente foſſero, e che il lor vero coſtume portaſſe. Perciò noi doviamo credere, che nel preſente medaglione, non il gran tempio* (di Diana Efeſia), *ma bensì una picciola cella, dove quell' idolo, come in un tabernacolo, foſſe collocato, ſia eſpreſſa.*

Capitula columnarum, ultra quam par eſt, proceriora, inclinante ſaeculo formas etiam architecturae corruptas fuiſſe teſtantur. Columnae vero ex iis fuiſſe videntur, quae non ad onera ferenda, verum ad aedium parietes excolendas luxuriante ingenio fieri ſolebant; niſi potius temporarium aliquod ornamentum hic repraeſentetur, quo conſuetus Templi adſpectus novo cultu ſuperinducto in ea celebritate ſpectabilior redderetur, & auguſtior. Ita certe amphitheatra novo, & alieno ornatu, prout res poſtulabat, inſtructa fuiſſe primus omnium docuit vir omni laude major Scipio Maffejus *Veron. Illuſtr. Par.* IV. lib. II. c. 5.

Neque vero hoc columnarum genus in operibus ſuperiorum ſaeculorum, quibus integrae artes florebant, ignotum eſt. Dum enim Romae adoleſcentulus verſarer,

&

& inter otia ſeveriorum ſtudiorum architecturae operam darem ſub egregio viro, mihique in primis cariſſimo Philippo Juvara, tales prorſus animadverti inter ornamenta marmorati operis, quo Podium Amphitheatri excultum erat. Patet hinc, quum non ad firmitatem, ſed ad ſpeciem dumtaxat res ſpectaret, Vitruvianis legibus amandatis, Pictorum magis placita, quam certas, definitaſque Architectorum leges in uſu fuiſſe.

XXX.

JUPPITER CUSTOS.

JOvis Cuſtodis imaginem exhibent nummi, & marmor Gruterianum; ſed quum in iis ſedeat ille fulmen dumtaxat, & ſceptrum tenens, vulgata Jovis ſymbola, praeter nomen nihil profecto ibi cernitur, quod Jovi Cuſtodi peculiare ſit. Nummorum tamen defectum ſupplet penſilis haec Lucerna, in qua Juppiter medius inter duos canes aſſidentes repraeſentatur; quae quidem praecipua, ac ſingularis Jovis Cuſtodis nota exiſtimanda eſt. Alteram Lucernam Jovis Cuſtodis effigie ſignatam, cane inferius dormiente vulgavit olim Licetus, atque iterum Bartolus Par. II. I. Canis autem idcirco Jovi tribuebatur, quod vigilantiae Divinae ſymbolum eſſet, quemadmodum Arnobius tradit lib. I. & VI. *adv. Gent.* eademque de cauſſa Laribus quoque tributum fuiſſe docet Ovidius *Faſtor.* V. 137.

Similem Jovis Cuſtodis imaginem repraeſentabat marmor Romanum, quod Boiſsardus delineavit; ex Boiſſardo hauſit Gruterus, & pag XX. magni operis inſeruit, ſed inter duos Boves ſedere Jovem tradidit. Gravius adhuc peccavit Monſoconius *Ant. Expl. Tom.* I. *Par.* I. lib. II. c. 2 ubi eamdem iterum effigiem recudens, duas ſphinges Jovi olim aſſediſſe ſcripſit; tunc profecto, *vix fortaſſe*, ut ille ait, *pro Jove habita fuiſſet illa ſtatua, niſi id Inſcriptio ferret.* Colligere hinc licet, quam male Italae antiquitates ab extraneis mulctentur, etſi illas illuſtrare conentur.

Mar-

Marmoream item Jovis Cuſtodis imaginem vidi nuper Ravennae in veſtibulo Eccleſiae *di S. Apollinarino*. Sedet Juppiter inter duos canes, aſtat coram ſive Genius, ſive Mercurius ſeminudus columellae innixus; opus eximii profecto artificis, ſed ſuprema ſui parte miſerrime corruptum, quale decet eſſe monumentum e Regia Gothorum ſuperſtes. Doctrina tamen Petri Pauli Ginannii, Monachorum Caſinenſium Prioris, ac Patricii Ravennatis, qui totus eſt in patriis antiquitatibus elucidandis, detrimenta iſta compenſat. Compenſat item ſingularis munificentia Maphaei Farſettii, Ravennatis Archiepiſcopi, qui, magnificentiſſimo Templo a fundamentis erecto, conſepulta diu, & pene diſperſa Antiquitatis veſtigia, non ſolum communi tecto excepit, verum etiam aeri eleganter inciſa vulgari juſſit; Dignus propterea, qui pietate, & liberalitate *Sanctiſſimis, ac ter Beatiſſimis* Praedeceſſoribus ſuis comparetur.

XXXI.

JUPPITER DAPALIS.

PRodit nunc primum officina Tindari Plotinae Auguſtae Liberti ſtyli artificio, & emblematum eruditione ſpectabilis. Sedet in hac Lucerna Juppiter, dextra haſtae innixus, ſiniſtra fulmen tenens; ſcabello pedes imponit; aſtat aquila; hinc tripus molam ſpiraliter in conum deſinentem ſuſtinet; inde ara encarpo ornata lagenam diligentiſſime elaboratam; illa ambroſiam, hac nectar ſignificari primum exiſtimabam, quibus Deorum aeternitas ſobrietate collabeſcens opportune reficeretur.

Verum re maturius perpenſa non divinas epulas, ſed hominum ſacrificia repraeſentari deprehendi, ea inquam, quae Dapes proprie appellabantur. Feſtus. *Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hyberna ſemente, aut verna, quod vocabulum ex Graeco deducitur, apud quos id genus epularum* δαις *dicitur*. Ritum deſcribit Cato *de Re Ruſt.* c. 132. *Dapem hoc modo fieri oportet.*

tet. Jovi Dapali culignam vini, quantum vis, poluceto. Eo die feriae bubus, & Bubulcis, & qui dapem facient. Quum polucere oportebit, ſic facies. Juppiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo, familiaque mea culignam vini dapi ejus rei ergo. Macte vino inferiori eſto; macte hac illace dape polucenda eſto. Manus interluito; poſtea vinum ſumito. Juppiter Dapalis, macte iſtace dape polucenda eſto. Macte vino inferiori eſto. Veſtae ſi voles dato. Daps Jovi aſſaria pecuina, urna vini Jovi caſte; profanato ſine contagione.

XXXII.

JUPPITER HAMMON.

JOvem, cognomine *Hammonem*, ſub arietis forma cultum fuiſſe nemo eſt qui neſciat; verum in adſcribenda hujus moris cauſſa non una eſt Scriptorum ſententia. Aegyptii enim, quemadmodum tradit Diodorus Siculus lib 1., Deos, ut Typhonis iram fallerent, ſub animalium aſpectu aliquando delituiſſe exiſtimabant; Jovem praeſertim ſub imagine arietis, ac proinde *Amun* appellatum. At Herodotus aliter rem narrat; Jovem nempe ab Hercule rogatum, ut ſe illi aliquando oſtenderet, arietis caput ſibi impoſuiſſe, pellemque illius pecudis dorſo ſuo aptaſſe, atque ita in Herculis conſpectum ſe praebuiſſe. Plinius, Feſtus, Hyginus, compluresque alii ſcribunt arietem aquam Herculi monſtraſſe, dum Lybiam cum ſitienti exercitu peragraret; Herculem vero tanti beneficii memorem, Jovis ſignum ſub arietis aſpectu dedicaſſe, inclytum deinde oraculis, & toto orbe celebratum.

Quaecumque tandem ex his fabellis apud Aegyptios invaluerit, id unum liquido conſtat apprime Deo huic nomen *Occulti* conveniſſe; id enim Hammonis vox ſignificabat. Plut. *de Iſide, & Oſiride. Manethos Sebennita ea voce* (Hamun) *Occultatum, & occultationem indicat ſignificari*; quae Vox deducenda fortaſſe eſt a טמון *Tamun* quod, *occultum* ſignificat. At de his alias ex propoſito agendum eſt.

For-

Forma Hammonis noſtri, qui humanae faciei reſtitutus eſt, ſuperſtitibus tantum diſcriminis gratia cornibus, non ea eſt, quali apud Aegyptios, ac Garamantas colebatur, integra facie arietis, ut tradit Curtius *lib.* 4. *Id, quod pro eo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accomodaverunt; umbilico tenus arieti ſimilis eſt; habitus ſmaragdo, & gemmis coagmentatus*; & Silius *lib.* IX.

Lanigeri capitis media inter cornua perſtans
Marmaricis ales populis reſponſa canebat;

& D. Athanaſ. *contra Gentes. Lybies ovem, quam Hammonem vocant, Deum habent*. Patet ex his, Hammonem iſtum ſenili vultu ad genium Populi Romani fuiſſe reformatum; quippe qui barbaricas Deorum formas reſpuebat; neque Deos, ſub alia ſpecie effingendos putabat, quam quae dignior, & nobilior foret, ut animadvertit Plut. *de Iſide, & Oſiride*.

XXXIII.

JUPPITER SERENUS.

JOvem Serenum cognomine ab antiquis impenſe cultum teſtantur veteres Inſcriptiones, in Gruteriano Theſauro vulgatae pag. XXIII. I. MIX. 9. quibus Piſaurenſis alia accedet nuper effoſſa, ac in Oliverii noſtri Muſaeum inlata; verum ejus imago ignota adhuc, & fruſtra in tot antiquis monumentis conquiſita nunc primum ante eruditorum oculos ponitur. Luna creſcens, quae ſuperne expanditur, aeternitatis ſymbolum eſt, in re nummaria notiſſimum.

Quem autem uſum pretioſum hoc ſphragiſma habuerit, difficile admodum eſt definire. Illud quidem integerrimum eſt, interne vacuum, in columellae formam adſurgens; in ima parte retrorſum ſinuatur, ut tereti ligno ſuffixis clavis obfirmari adhuc poſſit. Ne tamen rem intactam relinquamus, conjecturae etiam in medio afferendae ſunt; Suſpicor autem illud vel *tutelam Navis*

fuiſſe, quam aliquis tenuioris fortunae nauclerus cymbae puppi affigeret, vel *tutelam ruris*, quam in caſae culmo religioſus agricola collocaret. Simile plane monumentum vidi dudum Romae apud *cimeliopolam* quemdam, in ima quidem parte miſere fractum, ſed in ſuperiori Graeca Inſcriptione octo ferme linearum inſignem. Verum illud fortaſſe periit, ut ibi ſolent pleraque fictilia monumenta.

XXXIV.

GENII JOVIS.

FRagmentum fictilis paterae operis omnium elegantiſſimi, quod egomet Romae inter rudera parietinarum in via Labicana anno MDCCXII. effodi, Jovem exhibet coelo receptum inter Geniorum obſequia, totum aquilae dorſo recubantem *in otio plurimo placide ſtupentis divinitatis*, ut ait Tertullianus. Genii adminiſtri palliolo adoperti ſunt; horum alter aquilae optime meritae libum porrigit ad aram fortaſſe illam, quam Juppiter quum ad eam aliquando in inſula Naxo ſacrificaſſet, coelo addidit, ut tradit Manilius *Aſtron.* lib. I. & V. Ara autem non ſolida eſt, ſed compactilis, & quodammodo textilis; vix enim credibile eſt ſigillatorem canaliculorum ornamenta exprimere ita voluiſſe. Genius idem vel palmas Victoriae notam, attollit, vel ſpicas ſymbolum Pacis, quemadmodum Tibullus docet lib. II. *Eleg.* 2. 62.

At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto.

Quale autem officium Genius alter Jovi praeſtiterit, deficiente patera utique divinare non auſim. Porro complures unicuique Deo Genios miniſtros aſſignatos fuiſſe animadvertit Bonarotius *Oſſervaz. a Medagl. ant.* illos autem Deorum loco habitos indicat Minutius Felix, qui Ethnicos quoque per Jovis Genium jurare conſueviſſe ſcribit, & confirmat Arnobius lib. VI. *adv. Gentes.*

Philippus Bonarotius ο μακαριτης ebur antiquum vulgavit inter parerga Muſaei Carpenei pag. 402., in quo

Jup-

Juppiter noſtro huic ſimillimus exhibetur, ſi unum excipias, quod ibi Genius ex vaſe potum aquilae miniſtrat, quae, licet, dum in humanis eſt, minime bibat, relata tamen inter Deos hanc ſibi neceſſitatem immortalitate comparavit; haec autem tanta anaglyphorum ſimilitudo facit, ut credam, utrumque ex celebri aliquo prototypo deſumptum eſſe, quod, quum a peritioribus laudaretur, plures ſibi imitandum propoſuerint. Sic probatiſſimas ſtatuas frequenter admodum in antiquis gemmis expreſſas videmus, haud dubio teſtimonio veteris famae, quam ſummorum artificum imitatio comprobaret.

XXXV. XXXVI.

SACRIFICIA.

SAcrificia, quae in hac, & ſequenti Lucerna exprimuntur, quum nullo indicio, cui potiſſimum Numini tribuenda ſint, deprehendi poſſit, Jovi adſcripſimus. Vereor tamen, ne, quod priori loco ponitur, ad Inferos Deos potius pertineat; quum enim Diis Superis impares numero victimae immolarentur, Inferi parem numerum non reſpuebant, praeſertim vero quaternarium, ut Virgilius docet *Aeneid.* VI. 242.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina Sacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris libamina prima
Voce vocans Hecaten, coeloque, ereboque potentem.

Quod autem tabula XXXVI. exhibetur cum nummis Domitiani apprime convenit; adeo ut ſolennia ſacrificia, quae incredibili caeremonia ludis ipſis ſaecularibus Domitianus fecit, in hac Lucerna repraeſentari haud immerito exiſtimari poſſit.

XXXVII.

JUNO JUGALIS.

NUptiarum ritus illuſtrarunt eximii Viri, Briſſonius nempe, Hotmanus, Caſalius, aliique, adeo ut pauca admodum dicenda ſint nobis, ne crambem recoctam reponamus. Illud tamen non eſt ſilentio praetereundum, in hac, & ſequenti Lucerna tria nuptiarum genera, quae apud veteres in uſu fuerunt, repraeſentari. *Tribus modis*, ait Servius *in Georg. lib.* 1. *verſ.* 31. *apud Veteres nuptiae fiebant*, *uſu*, *farre*, & *coemtione*. Juno Jugalis, ſeu Juga, ut dicebant antiqui, manus utriuſque ſponſi collo injiciens, quantum quidem conjectura auguror, confarreationem indicat, quae quidem ſanctiſſimum matrimonii genus erat. Spica farris, quae pone ſponſam viſitur, auget ſuſpicionem; licet non ignorem fecunditatem ea ſignificari poſſe, quemadmodum glande, quae poſt Sponſi tergum ponitur, perennitatem. Unam equidem e nuptialibus ſolennitatibus fuiſſe dexterarum conjunctionem, tam certum eſt, quam quod certiſſimum; ita enim in vetuſtis anaglyphis matrimonia figurata cernimus. Proinde miror memoratos Scriptores, qui tam accurate omnia perſequuti ſunt, hanc non animadvertiſſe, quum praeſertim a veteribus etiam Authoribus non obſcure indicetur. Sidon. *in fin. Epithal.*

> ...... *Tum Diva comas viridantis olivae*
> *Pace ligat*, *nectit dextras*, *ac foedera jungit*;

Stat. *Sylvar.* lib. I. II. 239.

> .... *Dat Juno verenda*
> *Vincula*, & *inſigni geminat concordia taeda*;

inde Virgilius Aeneid. IV. 59.

> *Junoni ante omnes*, *cui vincla jugalia curae*;

inde Juno *pronuba* appellata.

In nummis M. Aurelii idem omnino typus occurrit, cum inſcriptione VOTA PVBLICA. Eruditorum communis eſt ſententia, illos propter Aurelii, & Fauſtinae nuptias percuſſos fuiſſe; propterea haud temere exiſtima-

mare poſſumus eaſdem nuptias hac eadem Lucerna repraeſentari; per eos enim dies, quibus nuptialia Principum feſta celebrabantur, Urbem univerſam in laetitiae argumentum Lucernis poſitis noctu illuminatam fuiſſe credibile maxime eſt; eas autem Lucernas ſymbolis ad rem accommodatis a ſigillatoribus formatas fuiſſe, late in prolegomenis demonſtravimus.

XXXVIII.

HYMENAEUS.

DUos alios nuptiarum ritus Hymenaeus, qui in elegantiſſima hac Lucerna exhibetur, deſignat; aſſe quidem, quod ſuffixum cernitur, coemtionem; face, quam tenet, & urna, uſum.

Coemtionem certis verbis factam fuiſſe, docet Cicero lib. 1. *de Orator.* 56. ea autem refert Boethius *in Topic. Cicer.* qui pariter definitis illam ſolennitatibus peractam fuiſſe ſcribit. Quaenam vero ſolennitates illae fuerint, non tradit. Exiſtimant nonnulli, eas Varronem apud Nonium Marcellum deſcripſiſſe; *Veteri*, inquit Varro, *Romanorum more nubentes mulieres tres ad virum aſſes ferre ſolebant; atque unum quidem, quem in manu tenebant, tamquam emendi cauſſa, marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere; tertium in ſacciperio quum condiſſent, compito vicinali ſolebant reſignare.* Ego autem Briſſonio aſſentior, qui coemtionis praecipuam vim in eo conſtitiſſe arbitratus eſt, quod imaginariis quibuſdam venditionibus perageretur, ut & adoptio, nummis aliquot dicis cauſſa intervenientibus, qui idcirco tamquam coemtionis ſymbolum in hac Lucerna repraeſentantur.

Neque tamen inficiandum eſt, Dotem etiam eo aſſe indicari poſſe. Dos enim in aere gravi olim ſolvebatur: exemplo ſint Scipionis Africani filiae, *quae a Senatu tutore ſuo*, inquit Seneca cap. 12. *Conſolat. ad Helviam*, *in dotem aes grave acceperunt.*

Uſum

Uſum autem, tertium matrimonii contrahendi genus, indicant facula illa, ſeu torris exardeſcens, quam ſiniſtra manu inclinat Hymenaeus, atque urnula aquaria, quam ille dextera extenſa videtur apprehendere. Equidem uſu fieri matrimonium conſueviſſe memorati Scriptores exiſtimant, quum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat, & cum viro ita conſueſcebat, ut cum juſto marito, adeo ut, ſi uſus ille intra annum non interrumperetur, pro uſu capta jam haberetur. Sed praeter has Juris ambages ſolennitatem aliquam in his nuptiis interveniſſe nemo, ut puto, ibit inficias; quaenam illa fuerit, a Scriptoribus non traditur; ego vero aqua, & igni uſum contractum fuiſſe exiſtimo, quemadmodum farreo libo confarreatio, imaginariis venditionibus coemtio fiebat; aquam enim, & ignem non fuiſſe caeremoniam in omnibus nuptiis uſurpatam, ſed certum matrimonii contrahendi genus, aperte docent veteres Scriptores. Naevius *in Virgine praegnante* apud Nonium Marcellum in v. *Puriter*.

Sequere me, puriter volo facias,
Aqua, & igni volo hunc accipere.

Ovidius Faſtor. IV. 791.

His nova fit coniux, haec duo magna putant.

Scaevola in l. Seja §. 1. *ff. de Donat. inter vir., & uxor. Die nuptiarum priuſquam ad eum tranſiret, & priuſquam aqua, & igni acciperetur; ideſt Nuptiae celebrentur;* Idcirco autem exiſtimandum eſt toties ab antiquis aquae, & ignis mentionem fieri, quod pleraque matrimonia uſu contraherentur; coemtionem enim, quae per aes, & libram fiebat, ut diximus, jamdiu deſiiſſe, ſatis conſtat; confarreandi vero adſuetudinem ſuo jam tempore vel penitus omiſſam, vel certe inter paucos retentam, narrat Tiberius Aug. apud Tacitum lib. IV. *annal.* c. 16.

XXXIX.

XXXIX.

MATRONARUM SACRIFICIUM.

MAtronae ſtola amictae, floribus coronatae, flores arae imponunt. Hinc facile intelligimus, ſacrificium illud in hac Lucerna repraeſentari, quod Kalendis Martiis Junoni Lucinae in Monte Eſquilio matronae peragebant. Ovidius rem docet *Faſtor.* III. 253.

Ferte Deae flores ; gaudet florentibus herbis,
Haec Dea ; de tenero cingite flore caput.
Dicite tu nobis lucem, Lucina, dediſti ;
Dicite tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida eſt, reſoluto crine precetur,
Ut ſolvat partus molliter ipſa ſuos.

XL.

PAVO.

PAvonis typus in Lucernis coemeterialibus frequenter occurrit ; illum inter Chriſtianorum emblemata praecipuum locum obtinuiſſe, poſtremo hujus operis Tomo, Deo favente, oſtendemus. Pavo item in Ethnicorum Lucernis figuratur, & ad Junonem pertinet. Qua verò ratione hieroglyphicum Chriſtianum ab ethnico diſcernatur ii norunt, qui ex aſſidua horum monumentorum contrectatione, probe Chriſtianas Lucernas ab ethnicis dignoſcere didicerunt ; at de his in prolegomenis.

Pavonem Junoni familiare animal fuiſſe, nemo eſt qui neſciat. Minus fortaſſe vulgatum eſt malum granatum Junoni item ſacrum fuiſſe. Juno Argiva, cujus ſimulacrum deſcribit Pauſanias in *Corinth.* illum manu geſtabat : *Dea manu altera punicum malum tenet, altera ſceptrum.*

XLI.

XLI.

MONETAE.

TRium Monetarum typum idcirco Junoni ſubjecimus, quod in illius Deae tutela moneta eſſet, minime vero quod Juno *Moneta* vocaretur, cujus quidem appellationis ratio nihil cum monetis commune habet. Juno enim *Moneta* appellata eſt a *monendo*. Cicero lib. I. *de Divinat.* 45. *Atque etiam ſcriptum a multis eſt*, *quum terraemotus factus eſſet*, ut ſue plena procuratio fieret, *vocem ab aede Junonis ex arce exſtitiſſe; quocirca Junonem illam appellatam Monetam*. Moneta vero, ſeu nummus, haud equidem dicta videtur a *monendo*, quaſi *nota ſcripta moneat nos authoris*, *&* *valoris*, ut poſt D. Iſidorum *Orig.* lib. xv. c. 15. ſummi Viri exiſtimarunt, ſed, niſi valde fallor, a *monade* unitatis ſigno, I, quo primum a Graecis, deinde a Romanis libra ſignata eſt; a quo pariter, quia *obelum* illud vocaverunt, *obuli* nomen derivaſſe puto.

Monetam plerumque ſub trium Dearum imagine, quae tribus monetae metallis praeſiderent, repraeſentarunt Veteres. Media, qua aurum ſignificatur, virginali habitu expreſſa eſt, haſtatas lances tenens; reliquae cultu matronali, communibus lancibus inſtructae. Verum diſcrimine omni ſublato in nummis Maximiani primum occurrunt tres matronae pari habitu, paribuſque lancibus, quales ferme in hac Lucerna exhibentur.

Typus iſte, ſolis profecto numiſmatibus aptus, conjecturam noſtram confirmat, quam in prolegomenis propoſuimus; nullum nempe Numen, ſtudium nullum, nullum denique hominum officium fuiſſe, quod in ſupellectili domeſtica non efformaretur. Metallis jamdiu in alios uſus conflatis, gemmae, vitra, fictilia monumenta, quibus avaritia hominum pepercit, ſuperſunt adhuc, ſi attentius conſiderentur, frugem maximam eruditionis paritura.

XLII.

NEPTUNUS.

VEteres Piſaurenſis Urbis nummi ab Hub. Goltzio dudum vulgati Neptunum imberbem exhibent, delphino inſidentem, qualis profecto in hac Lucerna repraeſentatur; neque enim perpetuo barbatum fecerunt illum Antiqui; inde ab Orpheo in *hymn.* appellatur χαριτωπα *gratioſam faciem habens*. Eadem omnino imago in Tarentinorum nummis occurrit, atque ea Taram Neptuni filium ſignificari communis eſt Eruditorum ſententia; quam tamen ſi in dubium revocavero, nimis audax videri nollem. Verum Neptunum Tarenti cuſtodem appellavit Horat. lib. 1. *od.* 28.

Ab Jove, Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.

quem proinde in illius Urbis nummis expreſſum arbitror. Inſcriptio autem ſubjecta ΤΑΡΑΣ Urbis ipſius, quae nummos percuſſit, non autem Dei, qui in illis ſignatus eſt, nomen referre cenſenda eſt.

Homerus Iliad. lib. XIII. Neptunum inducit equis curru junctis mare peragrantem. Orpheus vocat illum *quadrigatum currum gubernantem*; quos imitatus Virgilius *Aeneid.* 1.

Flectit equos, curruque volans dat lora ſecundo.

Recte tamen delphino etiam imponitur, non ſolum quia ſymbolum hoc erat maritimae Urbis, lateque mari imperantis, verum etiam quia Neptuno in primis carus erat delphin; cujus quidem rei rationem Oppianus nos docet *Alieuticon* lib. 1.

Eximie namque delphines Neptunus diligit,
Propterea quod ipſi nigris oculis puellam Nerei filiam
Quaerenti, fugientem ſuum cetum Amphitritem
Deprehenſam delphini in Oceani domibus
Latitantem nunciarunt.

Tridentem vibrat Neptunus; unde εννοσιχθων, & εννοσιγαιος dictus eſt, quaſi *terram concutiens*. Ita appellat illum, & Juvenalis Sat. x.

Ipſum eum pedibus qui vinxerat Ennoſigeaeum.

XLIII.

TRITON.

OMnigenae propemodum eruditioni, qua Lucernas ſuas Veteres excoluerunt, accedit aliquando curioſa Lucernae ipſius figura; in clypei modum efformantur aliquae, nonnullae peltas referunt; haec in ancilis formam effecta eſt, eam plane, quam in nummis obſervamus.

Neptuno jungitur filius Triton. Heſiod. *Theogon.*

Ex Amphitrite autem, & gravicrepo Neptuno
Triton late potens natus eſt.

idcirco autem pelta protectus pugnantis habitu exhibetur, fortaſſe quia Patri adverſus Gygantes praelianti praeſto fuit; neque enim terram dumtaxat, ſed & mare ipſum teterrimo illo bello arſiſſe fabulantur Scriptores. Neptunum vero Polybotem per maris fluctus inſectatum fuiſſe, atque in eum Co Inſulae partem conjeciſſe eaedem fabulae docent.

XLIV.

TRIDENS, ET PISCES.

PIſcatorium tropaeum exhibetur in hac Lucerna. Tridens, Neptuni ſymbolum, talis eſt, qualem deſcribit Orpheus χαλκοτορευτον *ex aere tornatilem.* Piſces utrinque penduli Neptuno ſacri erant, ut Manilius docet *Aſtron.* lib. II.

Non una de cauſſa piſces Diis offerebant Veteres; in inferiis nempe, de quibus ſuo loco agemus; in fulminum procuratione, ut ex Ovidio conſtat *Faſtor.* III. & Plutarch. *in Numa*; demum, quod ad rem pertinet, ob felicem piſcationem Diis piſcatoriae rei praeſidibus ſuſpenſos fuiſſe tradit Aelianus *de Animal.* lib. XV. c. 6.; ubi quoque Θυνναια memorat ſacrificia, quae a piſcatoribus

bus pro felici thynnorum captu fiebant Neptuno *ἀλεξικάκῳ*, ſive *averrunco*, ne *ξιφίας* *peſce ſpada* rete laceraret, vel delphinus thynnis opem ferret.

Apud Syros quoque, quibus piſces ſacri, & inviolabiles erant, ex argento dedicatos narrat vetus Interpres Germanici in *Aratаeis*. *Uſque hodie Syri piſces argenteos in templo ſacraverunt*.

X L V.

TROPAEUM NAVALE.

TRopaeum navale elegantiſſimum ad navalem aliquam victoriam Lucernam hanc pertinere demonſtrat, quam tamen non incommode inter Neptunales Lucernas collocavimus. Tridenti navis acroſtolium imponitur. Appianus Alexandr. *in Mithrid.* *Ut trireme cum ipſis hominibus religata in portum ſe receperunt multis onuſti ſpoliis, ipſiſque navium acroſtoliis*; navium enim captarum acroſtolia a Victoribus adimi ſolita teſtantur Diodorus Siculus, & Xenophon. Delphini, qui ad latus tropaei cernuntur, vel, quum navalis rei ſymbolum ſint, maris imperium ſignificant, vel militares illas machinas repraeſentant, quibus in navalibus pugnis utebantur Veteres. Svidas. *Delphinus eſt ferreum inſtrumentum, aut plumbeum in delphini effigiem formatum. Hoc in antemna mari praelium commiſſuri ſuſpendunt, dejiciuntque in navem hoſtilem, eamque ſubmergunt*.

X L V I.

GENIUS NEPTUNI.

OMnes fere, qui antiquitati elucidandae aliquam navarunt operam, hujuſcemodi imagines Cupidini adſcripſerunt, cujus in elementa omnia poteſtatem veterum Scriptorum authoritate demonſtrarunt. Illorum tamen ſententiam longe equidem a mythologiae principiis diſtare exi-

exiſtimo, quibus docemur Deorum, locorumve Genios, imo & hominum aliquando, ipſarumque belluarum praeſides repraeſentatos fuiſſe.

Ac, quod ad Deos attinet, cuique Numini Genios adminiſtros adſignaſſe Veteres ſupra monuimus; quorum quidem plures recenſuit Oliverius noſter in elegantiſſimis commentariis *ad Marmora Piſaurenſia* pag. 9., quem vide. Profecto, etſi omnes Marinos Deos praeſto Neptuno eſſe voluerunt, alatos tamen Genios illi quoque tribuerunt. Ex his unum Lucerna noſtra exhibet eodem ferme geſtu expreſſum, quo Neptunum ipſum in ſuperioribus Lucernis repraeſentatum obſervavimus.

Lares Permarinos memorat Livius lib. XL. *Idem dedicavit aedem Larium Permarinum in Campo; Voverat eam annis* XI. *ante L. Aemilius Regillus navali praelio adverſus praefectos Regis Antiochi*. Quinam ii fuerint, incompertum ſibi eſſe Glareanus fatetur; ſed, vel ipſi Dii maris praecipui intelligendi ſunt, Neptunus nempe, & Salacia; aliquando enim Dii omnes Lares dicti fuerunt, ut *in exercitationibus ad linguam Etruſcam* demonſtrabimus; vel illorum Deorum Genii; nam Romani Larium, & Geniorum nomen promiſcuo uſu quandoque uſurparunt. Arnobius lib. IV. *Hoſce a nobis Deos violari, Larem, Genium focorum?*

XLVII.

SCYLLA.

HOmerus *Odyſſ.* XII. ita Scyllam deſcribit.

Hujus enim duodecim ſunt pedes, omnes deformes,
Sex autem ei colla praelonga, in autem uno quoque
Terribile caput; in eo autem trium ordinum dentes
Denſi, & frequentes pleni nigrae mortis.

At Romani longe aliter monſtrum hoc repraeſentarunt. Virgilius *Aeneid.* III. 424.

At Scyllam coecis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naves in ſaxa trahentem;

Pri-

Prima hominis facies , & pulchro pectore virgo
Pube tenus , poſtrema immani corpore piſtrix
Delphinum caudas utero commiſſa luporum .

cui omnino reſpondent Sex. Pompeii nummi , & elegantiſſima , quam damus, Lucerna . Parum ab hac imagine ea diſtat , quae in Tarſenſium maximi moduli numiſmate occurrit *Muſ. Farneſ.* Tom. IV. Tab. 22. 1. Scylla ibi tridentem tenet. ; quum autem Aſiae Civitates peculiaria dumtaxat ſua monumenta exprimere in nummis ſolitae fuerint , veroſimile maxime eſt , monſtrum iſtud commentum fuiſſe Phoeniciorum ; praeſertim quia in Etruſcorum monumentis non raro illud obſervatur , ii enim ex Oriente , ut compertum eſt , religionem , & fabulas advexerunt .

Apud Etruſcos tamen , niſi valde fallor , Scylla non marinum , ſed infernale monſtrum fuit , Furiarum , ſive Parcarum adminiſtra , quarum nutu homines morte afficeret . Hinc Virgilius Etruſcorum fortaſſe mythologiam ſequutus in ipſo Inferni aditu plures Scyllas recenſet *Aeneid.* VI.

Centauri in foribus ſtabulant , Scyllaeque biformes.

XLVIII.

CAPER MARINUS.

CAprum flexuoſo corporis vortice ſinuatum , pinnis ad latera vehementer productis , inter monſtra maris collocandum cenſuimus . Plinius lib. IX. c. 3. de Indici maris monſtris ſermonem habens , ait : *exeunt & pectori ſimiles belluae ibi in terram, paſtaeque radices fructuum remeant .* Oppianus *Alieuticon* I. inter piſces , qui in litore paſcuntur, hircos recenſet , τραγους

Litus vero ad viride ſub viridibus herbis
Paſcuntur maenides , & hirci .

& lib. V. ubi plures maritimarum belluarum ſpecies enumerat , quae terreſtrium animalium nomen ſortitae ſunt, arietes memorat .

ſunt

ſunt quidem
Arietes opilionum, manſuetum pecus ; non autem maris
Arietibus blandis utetur , quiſquis eos appropinquaverit .

XLIX.

MONSTRA MARINA.

SI quid unquam Pictorum libidini obnoxium fuit , monſtra certe marina fuerunt , quae quanto magis ab hominum commercio diſſita ſunt , tanto plus artificum commentis fuerunt expoſita . Quicquid igitur illi de ingenio delinearunt , caret auctoritate , nec eſt unde illuſtretur . Verum tamen Scriptores marinarum belluarum pugnas deſcribunt ; Plinius nempe lib. IX. c. 6. , & Oppianus *Alieuticon* lib. I. ubi crebros piſcium in certaminibus adſultus , & caudarum invicem ſe complicantium volumina exprimit ; adeo ut jure illud Horatii uſurpari hic poſſit :

Pictoribus , atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas .

Hoc autem Lucernarum genus ad balneorum uſum efformatum exiſtimo ; in illorum enim pavimentis muſivo opere excultis fere ſemper piſces , & monſtra marina occurrunt ; cujus quidem rei argumento eſſe poteſt elegantiſſimum illud muſivum , quod Piſauri in domo Judaei cujuſdam adhuc ſupereſt. Nocturnas vero balneationes Romanis in uſu fuiſſe , non privato tantum , ſed in publicis quoque Thermis ad Lychnos , diximus ſupra in Prolegomenis .

L.

DELPHINUS LYRAM GERENS.

IN hac Lucerna ſymbolice Arionis fabula repraeſentatur , qui a nautis Corinthiis ob praedae aviditatem dejectus in mare , cantus dulcedine delphinum tran-

tranſvectorem ſortitus eſt. De eo ſic Oppian. *Alieuticon* v.

Et quidem aliqui Lesbii antiquum caſum cantoris
Audivit, quomodo delphini vectus tergis
Fluctum nigrum trajecerit, interritus ſemper
Canens, ut necem ſubterfugeret latronum,
Taenariamque propinquavit ad littora Laconum.

Et Ovid. *Faſt.* II. III. V.

Protinus in medias ornatus deſilit undas
Spargitur impulſa caerula puppis aqua,
Inde, fide majus, tergo delphina recurvo
Se memorant oneri ſuppoſuiſſe novo.
Ille ſedet, citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, & aequoreas carmine mulcet aquas.

In cujus benefacti praemium delphinus inter ſidera relatus eſt.

Dii pia facta vident, aſtris delphina recepit
Juppiter, & ſtellas juſſit habere novem.

Hippocampus anchora ſubjecta vel ipſum Neptunum, vel mare ſignificat.

L I.

CONCHAE.

AD balneorum uſum hanc quoque Lucernam pertinere arbitror, in qua omne fere concharum genus expreſſit artifex, univalvias nempe, bivalvias, & turbinatas. Neque tamen omni omnino myſterio carere illas exiſtimandum eſt; iis enim vel Neptunus Deus maris ſignificatur, vel ipſa Venus, cujus cum conchis affinitas vulgaris eſt, & notiſſima. Tranſitus quoque ad Eliſios per hoc ſymbolum indicari poteſt; in ipſis enim conchis animas ad beatorum loca velificantes frequentiſſime expreſſas in anaglyphis, & gemmis obſervamus.

L I I.

MINERVAE NATIVITAS.

MUlta ſane in Romanis monumentis occurrunt, quae quum in Etruſcorum morem efformata ſint, petitae inde religionis non leve teſtimonium reddunt. Ac quamquam Minervae ortum Graeci, & Etruſci celebraverint, Lucernae noſtrae typum ad Etruſcam potius theologiam referre minime dubito, quippe qui exactiſſime reſpondeat celeberrimae paterae Coſpianae, quae a Fabretto primum, & Bonarotio, demum etiam a Gorio vulgata eſt. Porro quotiens Deorum quaedam imagines in operibus materia, aetate, loco, & uſu valde diverſis repetitae obſervantur, haud temere exiſtimari poteſt, eas ex prototypis auguſtioribus exceptas fuiſſe, quorum effigies diuturnior religio longe lateque propagaſſet. Accedit, quod Minervae naſcentis, ſive ut ajebant *capitae*, ſimulacrum ex Falerio Etruſcorum Urbe Romam perductum fuit. Ovid. *Faſtor* III.

Parva licet videas capitae delubra Minervae,
Quae Dea natali coepit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſſa eſt; capitale vocamus
Ingenium ſolers; ingenioſa Dea eſt.
An quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo?
An quia perdomitis ad nos captiva Phaliſcis
Venit, & hoc ſignum litera prima docet?

accedit etiam quod ſolennia feſta, quae in natali Minervae Romae peragebantur, Etruſco vocabulo *quinquatria* appellabantur. *Atrus* enim Etruſca vox *diem* ſignificat; inde Ovidius *loc. cit.*

. . . . & fiunt ſacra Minervae
Nominaque a junctis quinque diebus habent.

Quinquatriorum ſolennia mediam ferme Romam complectebantur; nam mulieribus, artificibus fere omnibus, Medicis, Oratoribus, cunctarum denique ſcientiarum Profeſſoribus communia erant. Proinde mirum non eſt tot

tan-

tantaſque illius Deae imagine ſignatas Lucernas reperiri; praeter quam quod Dea olei inventrix potiſſimo jure in iis exprimi debuit.

LIII. LIV.

MINERVAE CAPITA.

CApiti Minervae, in duabus Muſaei noſtri Lucernis, duae diverſae caſſides imponuntur; in prima Triton, Victoria in altera caelata eſt. Equidem galeae Minervae pluribus emblematibus ornatae occurrunt in antiquis monumentis; coronis nempe, monſtris marinis, pegaſo; frequentius tamen Tritone, quem huic Deae, quae Tritonia vocabatur, praecipue tributum, haud inepte cenſet Bonarotius *Oſſerv. a Medagl. ant.* pag. 190; Triton buccinam inflat, cujus immanem ſonum mire veteres Poetae deſcripſerunt. Victoriola vero, quae in altera caſſide ſignata eſt, apprime Minervam decet, quae apud Athenienſes, & Megarenſes Νικη Αθηνα *Victoria Pallas* vocata eſt; ac propterea in illius dextra collocatum fuiſſe plerumque Victoriae ſimulacrum, docuit jam Bonarotius pag. 105. *cit. oper.* Jure igitur ab Orpheo *in hymn.* appellatur νικηφορε δαιμον *Genius victoriam ferens*.

L V.

PALLADIS PROTOME.

ETſi Palladem truci, feroque aſpectu Poetae nobis plerumque deſcribant, blando tamen, venuſtoque vultu non raro exprimitur, quandoque etiam puerili; Lucerna enim noſtra Deam recenter natam videtur repraeſentare.

Singularis profecto eſt tunicae cultus, inter cujus undantes lacinias, manicae loco, dextrum brachium exeritur.

LVI. LVII. LVIII.

PALLADIS SIMULACRA.

EXigua quaedam Deorum ſimulacra in domeſtico Larario ab Antiquis culta fuiſſe nemo neſcit ; inde *parva* appellat illa Horatius lib. III. *Carmin.* od. 23.

Parvos coronantem marino
Rore Deos , fragilique myrto .

& Juvenalis Sat. IX. 137.

O parvi noſtrique Lares , quos thure minuto
Aut farre , & tenui ſoleo placare corona .

Neque tamen Larum dumtaxat imagines ibi collocatas fuiſſe exiſtimandum eſt ; omnium enim Deorum , quos impenſiori cultu quiſque proſequebatur , ſigna in eo reponebantur . Inde latiori notione Dii omnes familiares Etruſco vocabulo *Lares* appellabantur , quod quidem monuit doctiſſimus Voſſius in *Etymolog.* v. *Lar* , & nos fuſius in *exercitationibus ad linguam Etruſcam* dicemus . Inde etiam *Lares argenteos* , non duos , ſed ſeptem Rheginis legavit T. Tarſenius Sabinus , ut habet inſcriptio Gruteriana pag. CLXXIV. 7. Proinde mirari nemo poterit inter illos Palladem quoque adſcitam . Ac quamquam argenteos Lares memoret allata inſcriptio , fictiles tamen plerumque fuerunt ; religioni enim ducebant Romani in hiſce Numinibus excolendis ab antiqua ſimplicitate recedere , ut egregius Dionyſii Halicarnaſſenſis locus docet *Ant. Rom.* lib. II. *Vidi ego quidem in ſacris Laribus caenas Deis appoſitas ſuper menſis ligneis in vetuſtis caniſtris , & fictilibus , ordeaceas pultes , & liba , & farra , & fructuum quorumdam primitias , aliaque multa hujuſmodi ſumptu facili , & ab inſolertia omni libera ; vidi etiam libamina infuſa non in argenteis , aut aureis vaſis , ſed in teſtaceis calicibus , & urceis , ſumque maxime eos homines admiratus , quod in patria permanentes conſuetudine inſolentiorem in uſum nihil prorſus vetuſtorum commutarent .* Fictilia igitur Muſaei noſtri elegantiſſima Palladis ſigilla in opulenti etiam hominis Larario collocari potuerunt . In-

hae-

haerent ſingulis Lucernulae, fumo adhuc foedatae, cruda argilla opere ſolido appoſitae, quarum ſacro lumine Lares honorabantur. D. Hieronymus *in Iſaiam* cap. XVI. 57. *Tutelae ſimulacrum cereis venerans, & Lucernis*.

At cur tria Palladis ſimulacra eadem, ut videtur, artificis manu efformata, vario veſtium cultu? Myſterium aperit Diodorus Siculus lib. I. *Palladem dictam eſſe Trigeminam propter tria anni tempora, ver, aeſtatem, hyemem*. Quorum temporum ſtudiis inter pacis, & belli opera diſtributis varius Deae cultus reſpondet; modo enim pacifera olivae ramum oſtendit; modo ſuccincta, & armata aptam ad bellum tempeſtatem demonſtrat; modo denique hyemantis habitu peplo ſuperinducto repraeſentatur.

LIX. LX.

MINERVA PACIFERA, ET DIMISSO CLYPEO.

VEteres nummi, Albini praeſertim, eodem plane geſtu Minervam Paciferam repraeſentant. Hoc autem mite officium Minervae, quae περσεπτολις *Urbium vaſtatrix* dicebatur, ut apud Ariſtophanem, & Callimachum videre eſt, illuſtrem, ac glorioſam peperit appellationem ερισιπτολις *Patronae Urbium*, ut ab authore hymni, qui Homero tribuitur, nuncupatur.

Ea vero Palladis imago, quae tab. LX. exhibetur, ex celeberrimo Phidiae ſimulacro, quod ex auro, & ebore Athenis viſebatur, excerpta videtur. Pauſanias *in Atticis* ita illud deſcribit: *Simulacrum ſtat veſte ad talos uſque demiſſa, Meduſae capite ex ebore ejus pectori inſerto ..... in manu eſt haſta; ad pedes ſcutum jacet*. XXVI. cubitis altum illud fuiſſe ſcribit Plinius lib. XXXVI. cap. 5. Palladem etiam Trojanam, ad cujus ſimulacrum confugerunt Dracones, qui Lacoontem Deae juſſu interfecerant, haud abſimilem fuiſſe arbitror; de illis enim ita cecinit Virgilius *Aeneid*. I. 227.

Sub pedibuſque Deae , clypeique ſub orbe teguntur .

L X I. L X I I.

MINERVA CONSILIARIA, ET ΟΠΛΟΧΑΡΕΣ.

POſito humi clypeo , rejectaque in ſiniſtram ulnam lancea , dextram protendens , aliquid ediſſerere videtur Minerva , quam proinde *Conſiliariam* appellavimus ; notiſſima enim ſunt illius Deae cum Uliſſe colloquia , & cum Telemacho , cui optima de Patre perquirendo , perdendiſque matris procis dabat conſilia , quae omnia ab Homero fuſe recenſentur . At in re obſcura nihil certi afferri poteſt . Fortaſſe etiam eo geſtu victoriam indicat ; ita Pyrrhi ſtatua expreſſa erat , ut victoriam ſignificaret , quemadmodum docet nos Epigramma vetus *Antholog.* lib. v. ep. 35.

Dextram vero intendebat ſuae teſtem Victoriae .

niſi potius pacificum geſtum illum exiſtimare velimus ; ita certe Antiqui Caeſarum ſtatuas pacatoris habitu , ut dicimus , repraeſentabant . Domitianum ita efformatum fuiſſe teſtatur Statius *Sylvar.* lib. 1.

Dextra vetat pugnas .

Eximia , quae adhuc Romae in Capitolio ſupereſt , aenea M. Aurelii ſtatua dextram item extendit .

Pallas , quae in altera Lucerna tropaeum gerit , jure ὁπλοχάρες dici poteſt , quaſi *armis gaudens* , ut ab Orpheo vocatur in ejus *hymno* ; praeterquamquod tropaea praecipue illi dicari conſueviſſe tradit Ariſtides *Orat. in Minerv.*

L X I I I.

PALLAS CUM CISTA MISTICA.

ELegantiſſimi opificii Lucerna , praeter Minervae imaginem , olei vaſculum menſae impoſitum exhibet , quo praeclarum Palladis inventum deſignatur ; in oppo-

ſita

ſita parte ſupra columellam myſtica ciſta repraeſentatur, quae, etſi illam Minervae etiam tributam Scriptores doceant, aut raro admodum, aut certe nuſquam in antiquis monumentis illius Deae ſymbolis jungitur.

Cauſſam vero, cur Palladi ciſta myſtica adſignata fuerit, Ovidius narrat *Metam.* lib. II. 553.

..............Nam tempore quodam
Pallas Erichtonium prolem ſine matre creatam
Clauſerat Actaeo texta de vimine ciſta,
Virginibuſque tribus gemino de Cecrope natis
Servandam dederat, ſed enim inconfeſſa quid eſſet,
Et legem dederat, ſua ne ſecreta viderent.
Abdita fronde levi denſa ſpeculabar ab ulmo,
Quid facerent; commiſſa duae ſine fraude tuentur,
Pandroſos atque Herſe; timidas vocat una ſorores
Aglauros, nodoſque manu diducit, & intus
Infantemque vident, exporrectumque draconem.

Inde inſtitutum, ut ſacrae virgines ciſtam in Minervae honorem ferrent; caeremoniam Pauſanias deſcribit lib. VII.

LXIV.

PALLADIUM.

VEra, ac genuina Palladii forma, quam Graeca monumenta repraeſentant, mulierem ſuperne armatam, in oblongum ſtipitem deſinentem referebat. Addunt Scriptores haſtam, & colum geſtaſſe, cujuſmodi nuſquam vidi. Simulacra ejus formae ερμαθηναι dicebantur, ſive quia ex Mercurio, & Pallade unum dumtaxat Numen coagmentatum fuiſſe arbitrarentur, ſeu potius a voce ερμα, quae fulcrum etiam, & columellam ſignificat; quod quidem verius arbitror; ea enim aetate, qua coelo delapſum fuiſſe Palladium commenti ſunt, quum rudis adhuc, & infantiſſima eſſet ſculptura, vixque artifices ſacris lapidibus, (*Betylos* Phoenicii vocabant), hominum capita aptare didiciſſent, neceſſitate verius, quam myſterio, in eam formam Palladis ſimulacra expreſſa fuiſſe exiſtimandum eſt.

Palla-

Palladium vero Romanorum, quod millies in antiquis operibus occurrit, ad talos uſque tunicatum eſt. Quum autem artifices in exprimendis Deorum ſimulacris nihil de ingenio addidiſſe probe ſciamus, in magnam adducor ſuſpicionem, ſimulacrum illud pretioſa aliqua veſte a Romanis religionis ergo ornatum fuiſſe. Deorum quippe ſigna ſaepenumero veſtibus induta fuiſſe indicat Tertullianus *de idolol.* cap. 18.; hinc apud Julium Firmicum *veſtitores ſimulacrorum* memorantur.

Palladii hiſtoriam varii varie tradiderunt; quae omnia, quum etiam antiquariorum filiis nota ſint, conſulto praetermittimus; illud tantum dicendum videtur, Romae Palladium tanta religione cultum fuiſſe, ut ſoli Veſtali maximae adſpicere illud liceret. Lucanus lib. I. 597.

Veſtalemque chorum ducit vittata ſacerdos,
Trojanam ſoli cui fas videre Minervam.

& lib. IX. 993.

. . . . nullique adſpecta virorum
Pallas in abſtruſo pignus mirabile templo.

LXV. LXVI.

NOCTUA, ET MEDUSA.

NOctuam Minervae ſacram fuiſſe nemo neſcit; atque perpetuo quidem a prima uſque Aegyptiorum ſuperſtitione huic Deae tributam docet Philoſtr. *de vit. Apollon.* II. 9. Quae tab. LXVI. galeae Palladis inſidet peculiari animadverſione digna eſt, quippe quae Academiae noſtrae inſigne referat; par fortaſſe erat, ut ſignum illius Academiae, quae tantopere meretur de Lucernis Veterum, in ipſis antiquis Lucernis formatum reperiretur.

Meduſae caput frequenter in noſtris Lucernis ſignatum occurrit; ſed quum nihil in iis novi deprehendi poſſe videatur, elegantiſſimum dumtaxat fragmentum aeri incidendum curavimus, quo Meduſa abſque ſerpentibus exhibetur, raro admodum exemplo.

LXVII.

LXVII. LXVIII.

GENIUS MINERVAE ET ARIES ARAM CORNU IMPETENS.

POlemus, quem refert Plutarchus *in Principem indoctum*, exiſtimavit unum Amorem eſſe Deorum omnium adminiſtrum, licet Heſiodus *Theogon.* ipſum illorum omnium domitorem nuncupaſſet. Non deſunt tamen argumenta, quibus docemur, Veteres Diis ſingulis peculiares Genios adminiſtros attribuiſſe, quorum tamen nomina, ſi pauca excipias, interciderunt. Genium Jovis, & Neptuni ſupra exhibuimus; aliorum etiam Deorum Genios ſuo loco proferemus. Minervae Genius producendus nunc eſt, qui ſedens Minervae arma cuſtodit, eaque pueriliter oſtentat.

Aries, qui Minervae aram cornu impetit, ſigillatoris jocus eſt; luſit ille fortaſſe indocti hominis impudentiam, qui ſola morum feritate ſuffultus doctorum hominum ſtudia carpat, atque perſtringat. Hujuſcemodi plurima occurrunt in antiquis gemmis, in quibus apologi, ac fabellae multae facetiſſime exprimuntur. Sardam Muſaei noſtri inter hujus operis parerga dedimus, in qua vulpes lignarium alloquitur.

LXIX. LXX.

CANDELABRUM APOLLINIS.

APollo, cithara columellae impoſita, dextraque poſt tergum rejecta, meditari aliquid videtur; laudes fortaſſe Jovis, quas illum ceciniſſe docet Tibullus lib. II. *el.* 5.

Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victoris laudes concinviſſe Jovis.

Profecto, quum citharoedus Apollo repraeſentatur, palla ad talos uſque demiſſa induitur. Idem Tibullus lib. III. *el.* 4.

Ima

Ima videbatur talis illudere palla ,
Namque haec in nitido corpore veſtis erat .

pro ſculptorum tamen arbitrio illam modo brachiis circumvolvit , modo ſub femore , modo ſupra genua colligit.

De Grypho , qui Lucernae diſcum obtinet , alias erit ſermo .

LXXI. LXXII.

APOLLO ARCITENENS.

APollinem εκηβολον *longe jaculatorem* appellat Homerus *Iliad.* I. & in *hymno* , ſi tamen Homero hic attribuendus eſt ; inde arcum intendit in Lucerna noſtra ; niſi fortaſſe Sminthei Apollinis imago in ea repraeſentatur , quem a muribus ſagittandis in hunc modum efformatum fuiſſe docent nos Veteres ; neque enim Pythium Apollinem hunc eſſe dixerim , quum nulla occiſi Pythonis ſigna appareant ; neque Actium ; licet enim ille arcum intenderit , ut Virgilius tradit *Aeneid.* VIII. 704.

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo .

& Propertius lib. IV. *el.* 6.

Actius hinc traxit Phoebus monumenta , quod ejus
Una decem vicit miſſa ſagitta rates .

talari tamen habitu indutum Auguſti nummi exhibent .

Apollo τοξοφορος *arcitenens* , ut ab Homero in *hymno* appellatur , columnae innixus , remiſſum, otioſumque arcum laeva tenet in tab. LXXII. Talem profecto Romanis Apollinem precabatur Horatius *Carm. Saecul.*

Condito mitis , placiduſque telo
Supplices audi pueros Apollo .

LXXIII. LXXIV.

APOLLO CITHAROEDUS.

APollo citharoedus ſedet in duabus his Lucernis ; in prima quidem ſolio inſidet , ut alter ille Apollo, quem

quem Pauſanias *in Arcadic.* deſcribit ; rudi ſcopulo in altera. Quid canat Apollo, ex Tibullo ſupra indicavimus. Tradit autem Orpheus *in Hymno* modos canendi ab Apolline ita alternatos eſſe, ut illorum varietate quatuor anni temporibus reſpondente, temporis curſum, coelique motum cantu ſignificaret.

L X X V.

APOLLO CUM QUADRIGIS.

Pone Apollinem ſedentem columella adſurgit, e qua illius arcus, & pharetra dependent; hoc autem anaglyphum mirifice illuſtratur ab Homero *in hymn. Apollin.*

Latona autem ſola manet apud Jovem fulmine gaudentem,
Quae utique chordam (arcus) *remiſit, & occluſit pharetram,*
Et illius ab fortibus humeris manibus captum
Arcum ſuſpendit ad columnam Patris ſui
Clavo ex aureo.

Gryphus autem Apollini ſacer idcirco tripodi inſidet, ut illius vaticinandi facultatem demonſtret.

Pretium majus Lucernae anſa eſt, quae in Lunae ſilentis formam erigitur, vulgari ſymbolo aeternitatis, quae tamen Solis propria credebatur; inde ille in antiquis inſcriptionibus ſaepenumero *aeternus* appellatur. Quadrigae tres dextera aſſurgens, media ſtans, ſiniſtra declinans, tria diei ſpatia ſignificant; in totidem enim partes ante horarum diviſionem Graeci, & Romani Veteres diem partiebantur. Homerus *Iliad.* Φ. in pr.

Seu aurora fuerit, ſeu crepuſculum, ſive meridies.

noctem etiam ut ex eodem Homero colligitur *Odyſſ* M. 311.

Quando autem tertia pars noctis advenit, & aſtra inclinarunt.

Equidem diei in duodecim horas partitionem apud Romanos ſerius introductam teſtantur Plinius lib. VII. c. 60. & Cenſorinus *de die Natali* cap. 23. eamque conſuetudinem Cicero tradit ab Aegyptiis promanaſſe, quos Cy-

nocephalus in templo Serapidis duodecim vicibus quotidie micturiens, commodam hanc diviſionem edocuit. Horarum quoque nomen Aegyptiam originem redolet; ea enim lingua ωρος Sol dicebatur, ut ſuperius etiam animadvertimus. Neque ob aliam certe cauſſam apud Graecos etiam Apollinem cognomine *Horionem* cultum fuiſſe exiſtimandum eſt, licet Pauſanias *in Corinthiac.* de illius appellationis ratione nihil ſe deprehendiſſe ſcribat.

L X X V I.

APOLLO INTER MUSAS.

VIdimus hactenus Apollinem muſicum, videamus & hiſtrionem; Stat quippe in inſigni hoc anaglypho medius inter Thaliam, & Melpomenem comoediae, ac tragoediae antiſtitas. Illa Graeco more palla ſuperinducta eſt, quales plerumque feminae in Vaticano codice Terentii repraeſentantur; larvam praeterea, ac diſpares tibias gerit, quibus in comoediis factos fuiſſe modos, vel ipſi extantium comoediarum tituli declarant. At Melpomene velata, grandique ſyrmate ſuperinjecto Deam agit, manuque capiti admota grande quid meditatur.

Columnarum ornatus, concharumque, ac faſtigiorum, atque inter ſpatia larvarum, ad ſcenam pertinet, ad quam exornandam auro, argento, ebore, & quod plus eſt, pulcherrimis etiam ſignis uſos fuiſſe Romanos teſtatur Plinius lib. XXXIV. c. 7. & lib. XXXVI. c. 2. 5. 6. 16.

Comoediae, & Tragoediae Ludis ipſis agebantur; neque vero poſtremam in illis partem obtinebant; quum autem in honorem Deorum Ludi inſtituti eſſent, ut tradit D. Auguſtinus *De Civit. Dei*, & Tertullianus *in Apolog.* & lib. *de Spectaculis*, illae etiam quodammodo ſacrae cenſebantur, & partem ſacrificiorum conſtituebant; propterea mirum videri non debet, ſi in parte theatri dextera Baccho, & Apollini arae conſtituerentur, quod animadvertit maximum, quemadmodum ab Oliverio noſtro jure appellatus eſt, ſaeculi ornamentum

Maſ-

Maſſejus in elegantiſſima diſſertatione ejuſdem Cl. Viri *Teatro* Veronae impreſſo addita. Recte igitur rei ludicrae accedit Apollo cum toto tripode, & ſuo Pythone, citharam pulſans.

Haec emblemata, ſive vitrea ea ſint, ſive ex alia quavis ductili materia, ad internas aedium partes excolendas tectorio parietum includebantur. Cicero *ad Atticum* lib. I. ep. 6. *Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſis includere*. At quales, quantoſque putemus fuiſſe typos illos ex vitro, quibus Scauri ſcena exornata eſt, quemadmodum tradit Plinius lib. XXXIV. c. 15. *Scena triplex ei fuit in altitudinem* CCCLX. *columnarum. Ima pars ſcenae e marmore fuit; media e vitro, inaudito etiam poſtea, novo genere luxuriae;* Verum creſcente magis magiſque luxu ad privatorum quoque domos vitreorum anaglyphorum uſus traductus eſt, illiſque integra conclavia obducta fuiſſe notavit Bonarotius *in Praefat. ad numiſm. Carpin.*

Hujus operis haud obſcura veſtigia egomet obſervavi Romae inter D. Nerei & Achillei, ac portam Capenam; hortum enim ingreſſus, in quo monticulus adſurgebat, quem pervium eſſe, & ex parietinis totum conſtare olitor aſſerebat, excitato lumine rei periculum feci, adii nempe

Parietibus textum coecis iter

ibi cubicula quaedam inveni, in quibus egeſta pavimenti fragmenta e ſignino conſtabant rudiuſcule ſubacto, cui ſuperfuſum, expolitumque, ad ſemunciae altitudinem vitrum adhaerebat viride, undequaque concolor, minimeque vermiculatum; nulla praeterea ſegmenta, nullique termini apparebant, neque ullae, niſi quas vetuſtas feciſſet, rimulae; ita ut ex integra tabula ſolo ſuperinfuſa pavimentum illud conſtitiſſe conjecerim, mobilibus ſane officinis, vel pro numero operum ex tempore excitatis. Ea vero fragmenta, quum diu aeri patuiſſent, penitus diſiiciebantur. Quibus tamen ornamentis excultos tandem fuiſſe exiſtimandum eſt parietes illarum aedium, in quibus ipſa pedum ſpatia non eſſent ſine admiratione?

LXXVII.

GENIUS APOLLINIS.

DE Geniis Deorum adminiſtris pluribus ſupra actum eſt. Apollinis Genius lyra canit; obſervatione digna eſt pulvinaris forma; caret enim pedibus; hujuſmodi etiam in uſu fuiſſe colligitur ex Varrone *de Ling. Lat.* lib. VII. *Lectos non omnes paris magnitudinis, & figurae faciunt; quod ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile, omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut ſine eo.* Fulcra autem lectulorum ſive pulvinarium pedes ſunt, quos ex auro, aere, aliiſque pretioſiſſimis rebus factos fuiſſe tradit Plinius lib. XXXIV. c. 10. An autem Deorum dignitas pulvinarium altitudine diſcerneretur, ita ut Geniis humiliora eſſent, viderint Eruditi.

LXXVIII.

TRIPUS, LYRA, LAURUS.

VUlgaria Apollinis ſymbola in hac Lucerna exhibentur, Tripus nempe, Lyra, Corona, haud equidem lemniſcata, ſed perpetuo foliorum ordine intexta, qualis obſervatur in Neronis nummulo in certaminis quinquennalis memoriam percuſſo; quam propterea muſicorum, Poetarumque propriam fuiſſe ſuſpicor.

Laureae ramus ad luſtrationes praecipue pertinet. Ovid. *Faſtor.* II.

Virgaque roratas laurea miſit aquas.

Inſtrumenta luſtrationis omnia ferme viſuntur in Veteri cinerario, quod olim vidi Romae in navi tranſverſa Baſilicae D. Paulli, urnula praeſertim, ex qua laureae ramus proſilit. Luſtratio vero ad Apollinem etiam pertinet; nulli enim Deorum, niſi luſtratione praemiſſa, ſacra fieri licuiſſe, ſatis conſtat.

LXXIX.

GRYPHES.

MUltas ſane fabellas de Gryphibus texunt mythologi, ut rationem explicent, cur Apollini adſignati fuerint, quod tamen, ut ait Cicero, eſt quaerere rationes in fabulis, quae ratione carent. Profecto haec monſtra ex Aegyptiorum arcanis deſumpta fuiſſe colligitur ex Apulejo lib. 11. *Mileſiar.*, ab illis omnino ad Etruſcos pervenerunt, in quorum ſepulchris frequentiſſime occurrunt, incertum tamen qua ſignificatione, licet mortis ſymbolum fuiſſe facile ſuſpicari poſſimus, quod tamen Apollini minime quidem convenit. Ab Etruſcis ad Romanos quoque delata eſt fabula; in ſepulchro enim C. Vibii ad 111. Lapidem in via Caſſia Gryphes viſuntur. Eorum vero cum Apolline conjunctionem ab Indorum ſuperſtitione dimanaſſe tradit Philoſtratus *in Vita Apollon.* lib. 111. c. 14. *has enim aves ajunt eſſe in India, ac Soli eſſe ſacras, & quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.*

Griphes in hac Lucerna Geniorum more candelabrum cuſtodiunt, & altero pede elato quodammodo ſacrificare videntur; idem typus frequenter obſervatur in Caeſarum loricis; qua vero de cauſſa haud facile eſt divinare.

LXXX.

PEGASUS.

PEgaſum Neptunus jure patriae poteſtatis vindicaret; ab Oceani enim fontibus πηγας nomen inditum illi tradit Heſiodus in *Theogon.* v. 283., ſed excitato Muſarum fonte, Apollo ſibi illum uſurpavit, atque inde inter ejus ſymbola Pegaſus cenſitus eſt, ut nummi evincunt.

Notiſſimae ſunt fabulae, quas de illo Veteres prodiderunt, expeditioneſque illius ope confectae; quas inter percelebris admodum ea fuit, qua Andromeda, e ceti

ti faucibus erepta fuit ; cujus monſtri oſſa diu Joppe in rei monumentum ſervata , demum Romam aſportata , oſtendit inter reliqua miracula in aedilitate ſua M. Scaurus , ut narrat Plinius lib. IX. c. 5.

Oſſa his non abſimilia , dum haec ſcribo , in agro Tudertino prope Tiberim cultiſſimo in loco reperta ſunt. Mandibula inferior immanis magnitudinis , in qua quini , & ſeni dentium ordines viſuntur , ſolida ac in lapidem pene verſa , ex ingenti calvariae mole ſola ſupereſt , adeo foſſores in pretioſiſſimum monumentum debacchati ſunt . Ea ſervatur nunc in Muſaeo Oliverii noſtri ex munificentia Joannis Andreae Jovanellii , quem ſupra memoravimus , in publicum Academiae noſtrae Muſaeum inferenda , cui quicquid antiquariae , rariorisque ſupellectilis nacti hactenus ſumus , animo libentiſſimo ambo deſtinavimus . Unde autem oſſa illa profecta fuerint , diu ſcrutatus ſum , ac tandem in eam veni ſententiam , Roma ad eum locum , in quo effoſſa ſunt , delata fuiſſe ; ibi enim magnificam olim , ingentemque cujuſdam Claudii cognomento Gothici , Liberti villam extitiſſe , ex Inſcriptionibus elapſo ſaeculo ibidem erutis compertum eſt ; quin etiam haud longe ejuſdem Liberti ſepulchrum repertum eſt ; quae omnia inter marmora Tudertina quamprimum proferentur ; profecto fieri facile potuit , ut in iis perturbationibus , quibus tunc Roma ſaepe vexabatur , potentiorum Caeſaris Libertorum curioſitati multa patuerint ex portentoſis hiſce reliquiis , quas nec religio vetaſſet violari , nec materiae pretium ſuſpectas reddidiſſet.

LXXXI. LXXXII.

MUSA. GENIUS MUSARUM.

MUſa repraeſentatur in hac Lucerna , forte Terpſichore , quae

...... *affectus citharis movet , imperat , auget .*

columellae innititur ; ita Muſae fere omnes exhibentur in nummis Pomponiae Gentis .

Quam

Quam male ii ſenſerint, qui Genios omnes ad unum Cupidinem retulerunt, cui Deorum omnium arma victoriae jure pertinere putant, vel ex hoc uno ſphragiſmate conſtat, quum Muſae, ut Lucianus teſtatur in elegantiſſimo dialogo Venerem inter, & Cupidinem, ab ejus jaculis tutae ſemper agerent, quia vultu ſunt verendo, & ſemper aliquid meditantur, & cantionibus animum intentum habent.

Muſarum Genius illarum more columnae innititur; tibias gerit, quibus fortaſſe Euterpis ſe Genium eſse adminiſtrum prodit; illa quippe *dulciloquis calamos flatibus urget*: Dextera falcatum quidpiam tenet, armillam fortaſse, vel ſolutam coronam, ac lemniſcis deſtitutam, quales fuere antiquiores, ut Plinius tradit lib. XXI. c. 3., qui a Craſso lemniſcos coronis ad Etruſcarum ſimilitudinem additos ſcribit.

LXXXIII. LXXXIV.

CAPUT, ET PROTOME SOLIS.

LYchnorum numerus, licet pro Lucernae uſu artificum arbitrio plerumque determinaretur, ſignificatione tamen aliquando non caruit, in ſacris praeſertim Lucernis; trino igitur lumine ſacram Soli Lucernam effulſiſſe credendum eſt ad tria diei intervalla ſignificanda, quae ſupra memoravimus not. LXXV.

Romanorum vetuſtiora monumenta Apollinem lauro coronatum exhibent, qualem illi ex Etruria adulta jam Urbe adſciverant. At ſequiori aevo radiato capite repraeſentabatur, ritu pene peregrino, atque ab oriente acceſſito; talis etiam *in tabula Heliaca* conſpicitur. Fortaſſe ſub hoc aſpectu εκατηβελεϛης vocatus eſt a longe feriendo, quod radios longiſſime, ac vehementiſſime vibret; quo diſcrimine Apollinem a Sole diſtinctum maxime fuiſſe exiſtimo.

Nondum profecto obſervaveram tunicati Solis effigiem, ac ſubarmali faſcia praecincti, qualis tab. LXXXIV. exprimitur,

mitur, quum haec Lucerna Roma ad me delata eſt; at illud potiſſimum miratus ſum, quod intra anni unius ſpatium octo ferme ejuſdem typi Lucernae, diverſa dumtaxat forma, atque ornatu, primae huic acceſſerint; conjicere hinc poſſumus, Solem inter illas joculatricis Romae inſanias aurigarum Circenſium habitu praecipue efformatum fuiſſe, quippe qui coeli auriga ſit, atque ita ab Orpheo in ejus *hymno* nuncupetur

..... pulchram faciem habens auriga.

LXXXV.

QUADRIGA SOLIS.

SOlis currum a quatuor equis rapi notum eſt. Manilius *Aſtronom.* II.

Quadrijugis it Phoebus equis, it Delia bigis.

illorum nomina recenſuit Ovidius *Metamor.* II. Typum Lucernae caeterum vulgarem egregie illuſtrat hymnus in Apollinem poſtremus, qui Homero tribuitur.

.... clari autem radii ab ipſo;
..... pulchra autem circa corpus fulget veſtis;
Tenuiter contexta flatu ventorum; ſubtus autem maſculi equi.

LXXXVI. LXXXVII.

SIGNA ZODIACI.

S*Igna univerſa Zodiaci ad naturam Solis jure referuntur*, ait Macrobius *Saturnal.* I. 21.; Soli propterea ſubnectenda erant. Novem ferme Lucernae diverſis Zodiaci ſignis illuſtres in Muſaeo noſtro ſervantur, ex quibus duas tantum ſelegimus, hanc nempe quae Taurum, atque alteram, quae Geminos exhibet, quas avide ab Eruditis exceptas iri confidimus, propterea quia coeleſtium ſignorum imago aptius in his repraeſentatur, quam in vetuſtis omnibus Kalendariis hactenus vulgatis.

Ac

Ac primo quidem , quod ad Taurum attinet , conſonat emblemati noſtro Ovidius *Faſtor.* IV.

E Duce lanigeri pecoris , qui perdidit Hellen,
Sol abit ; egreſſo victima major adeſt .
Vacca ſit , an taurus , non eſt cognoſcere promptum
Pars prior apparet , poſteriora latent .
Si tamen eſt taurus , ſive hoc eſt femina ſignum,
Junone invita pignus amoris habet .

Gemini vero Dioſcuri ſunt , Caſtor ſcilicet , & Pollux , quorum geneſim , acceptamque a Jove alternatim immortalitatem nihil eſt , cur deſcribamus . Caſtor equeſtri diſciplina , Pollux vero pugilatu celebratur. Horatius *Carmin* I. 2.

Hunc equis , illum ſuperare pugnis
Nobilem .

at Theocritus *in Idylio Dioſcurorum* ambos equites appellat.

O ambo mortalibus auxiliatores , o amici ambo ,
Equites , cithariſtae , pugiles , cantores .

ab Homero quoque in *hymno* vocantur

. . . . . . velocium conſcenſores equorum .

Hinc in nummis , conſularibus praeſertim , atque antiquis anaglyphis equi ambobus attribuuntur .

LXXXVIII.

SOLIS , ET LUNAE CAPITA JUGATA.

SOl , & Luna merito junguntur , quippe uno eodemque partu editi ſunt , una educati , ut Homerus canit *in hymn. Apollinis , & Dianae* ; una demum , eademque caeremonia , ac ſaepe uno etiam templo colebantur ; inde Horatius *Carm. Saecul.*

Supplices audi pueros Apollo ,
Syderum regina bicornis audi
Luna puellas .

Delphines , qui Lucernae anſam ſuſtinent , *Delphinii* cognomen , quo Apollo Athenis appellabatur , ut Pauſanias tradit in *Atticis* , reſpiciunt ; templum enim Delphicum

erecturus , navim Cretenſium hominum , quos juſtitia florere cognoverat , in delphinum verſus in templum abduxit , illoſque ſibi ſacerdotio initiavit ; ac proinde a delphino non ſolum *Delphinius* cognominatus eſt , verum etiam loco *Delphi* nomen indidit ; ita Homerus in *hymn.*

Innumerae propemodum Lucernae occurrunt , in quibus aſtrum Solis ſymbolum , & Luna quieſcens eadem ſignificatione copulantur ; illas ego omnes ad nocturnas illuminationes , quibus ſaecularia feſta diſtinguebantur , comparatas fuiſſe exiſtimo ; ea enim tribus continuis diebus , totidemque noctibus celebrabantur. Horatius *loc. cit.*

Certus undenos decies per annos
Orbis , ut cantus , referatque ludos
Ter die claro , totidemque grata
Nocte frequentes .

L X X X I X.

CAPITA SOLIS , MARTIS , ET VENERIS .

MArti , & Veneri Sol interponitur , quod eorum furta prodiderit , ut habet notiſſima fabella ; niſi potius privatam alicujus religionem , vel etiam , ſi mavis , ex aſtrologiae meditationibus horoſcopum aliquem hac Lucerna contineri velimus , quum in nummis etiam ſignatos horoſcopos videamus . Sunt qui ſub Martis , & Veneris effigie M. Agrippam , & Juliam Auguſti filiam, atque ipſum Auguſtum ſub Solis ſpecie expreſſos exiſtiment . Auguſto equidem in conviviis Solis ſimulatio ſolennis erat , ut ait Svetonius *in Aug.* c. 70. , qui mordaciſſimum quoque in eumdem ignoti authoris epigramma refert :

Impia dum Phoebi Caeſar mendacia ludit ,
Dum nova Divorum caenat adulteria .

XC.

XC.

MITHRA.

SI pro dignitate de Sacris Mithrae agere vellemus, longius profecto, quam unius notae termini poſtulant, progredi opus eſſet; Sed ne Lucernam noſtram intactam omnino relinquamus, unum notandum eſt; quid nempe Perſae ſub hujus Dei nomine intelligerent. Rem abſolvit Plutarchus *de Iſide*, *&* *Oſirid.* qui ex Zoroaſtri traditione duo principia, ſive Deos, boni unum, alterum mali authorem crediſſe illos ſcribit; quorum primus *Oromazon*, ſive, ut idem tradit in libello *ad Principem indoctum*, *Oromaſdes*, alter vero *Arimanius* vocabatur; hic tenebrarum, at ille puriſſimae lucis filius. Verum quia ea Numina ita natura ferebantur, ut perpetuo inter ſe diſſiderent, atque diſcordarent, *Mithras* inter utrumque conſiſtebat, quem etiam *Meſithen* hoc eſt *mediatorem* nuncupabant, ſupra quem tanto coeli intervallo Oromazon eminebat, quanto abyſſi ſpatio Arimanius premebatur. Medius itaque Mithras quodam moderamine utriuſque odia compeſcebat, & victimarum immolationibus devinctus, humano generi bona quaeque ab Oromazo obtinebat, mala vero, quae ab Arimanio parabantur, averruncabat. Ita Diabolus Chriſti Servatoris adventum praeludebat, & Divinae mediationis praerogativam jam tunc praemature uſurpabat; atque his nequam ſpiritus fallaciis factum eſt, ut neque ab ipſis Divinis Sacramentis impia Gentilium imitatio abſtinuerit, excogitatis illis baptiſmatum blaſphemiis, quibus ſe vituli ſanguine conſpurcatos in aeternum renaſci jactabant.

Mithra ſacrificantis geſtu exprimitur; taurique guttur ad coelum attollit, quae caeremonia in ſacrificiis, quae Superis Diis fiebant, ſolennis eſt; eademque de cauſſa victimarum, quae Inferis Diis caedebantur, caput humi premebatur; cujus quidem moris elegantiſſimum exemplum exhibetur in Lucerna, quam n. xxxv. dedimus; Inferorum Deorum Sacra repraeſentari ibi diximus; quam-

mobrem quatuor tauros videre in illa eſt humi procumbentes, qui defixo in terram gutture Victimarii ictum excipiunt.

Verum multo plura, ac etiam meliora ab Oliverio noſtro expectanda ſunt, qui eximiam tabulam Taurobolicam Muſaei noſtri illuſtravit; Vitrea ea eſt, trium fere pedum longitudinis, inſcriptione, parergis, atque ipſa materia ſpectabilis, omneſque, quae adhuc vulgatae ſint, tabulas Taurobolicas vel ipſo Scipionis Maffeii Viri ſummi judicio longe anteit; digna propterea quae Viri doctiſſimi, atque amantiſſimi ingenio intacta ſervaretur.

X C I.

ASTRUM, ET LUNA SILENS.

LUcernam Solis, & Lunae capitibus inſignem tab. LXXXVIII. protulimus, quam ſaecularibus feſtis olim inſerviſſe haud temere ſuſpicati ſumus; eumdem fortaſſe uſum has etiam Lucernas habuiſſe diximus, in quibus Solis item, & Lunae compendiariae, ut ita dicam, notae habentur.

Aſtrum Solis ſymbolum eſt. Homerus *in hymn. Apollin.* v. 440.

Hic e navi impetum fecit Rex longe operans Apollo,
Aſtro ſimilis medio in die; ab hoc autem multae
Scintillae evolabant; fulgor autem ad coelum uſque venit.

Animadvertimus ſupra *not.* VII. aſtrum, quum quinquiradium eſt, Solem repraeſentare, quadriradiis vero ſtellas ſignificari, ut in nummis Fauſtinae, atque in iis, in quibus Dioſcuri exprimuntur.

Neque tamen propter alios etiam uſus has Lucernas efformatas fuiſſe negaverim; ſymbola enim in illis expreſſa ad conſecrationes etiam commode referri poſſunt. Luna aeternitatis ſymbolum ad apotheoſin pertinet; quippe, ut ait Cicero *in Somn. Scip. ſupra Lunam ſunt omnia aeterna*. Aſtrum vero in illa inſertum principum Virorum anima eſt, ex ſtella Caeſaris ſumpto omine, &

ſimi-

ſimilitudine. Ovidius *Metam.* XV.

Hanc animam interea caeſo de corpore raptam
Fac jubar, ut ſemper Capitolia noſtra, forumque
Divus ab excelſa proſpectet Julius aede.

Quam quidem ſignificationem apud Aegyptios etiam habuiſſe ſtellas, tradit Horus Apollo, ſi qua tamen libello illi fides habenda eſt.

Ad menſtruam etiam neomeniae ſolennitatem celebrandam memoratae Lucernae effingi potuerunt; neque enim Hebraei ſoli fuerunt, a quibus cultu praecipuo Lunae φασις, ſive prima apparitio celebrata eſt; ſed a Romanis etiam hanc religionem occupatam fuiſſe tradit Macrobius *Saturnal.* lib. I. c. 15. *Priſcis temporibus Pontifici minori haec provincia delegabatur, ut novae Lunae primum obſervaret adſpectum, viſamque Regi ſacrificulo nunciaret. Itaque ſacrificio a Rege, & minore Pontifice celebrato... quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent pronunciabat.* Epulae quoque in eo feſto adparabantur, quas Plautus *Capteju.* Act. III. Sc. I. *epulas menſtruales* appellat. Sol vero apparenti primum Lunae conjunctus eſt; conſtat enim Novilunium ex Solis, & Lunae conjunctione fieri, Lunam vero novam tum primum notari, quum Sol illam praetergreſſus, extimam diſci illuminati partem nobis oſtendit, quod uniuſcujuſque menſis ſynodici initio contigit. Has igitur Lucernulas, in quibus Lunae φασις exprimitur, vel ad ſacra illa, quae noctu neceſſario fiebant, adornanda, vel ad caenacula ea occaſione illuſtranda, comparari potuiſſe facile patet.

XCII.

BIGA LUNAE.

QUadrigam Solis, quam dedimus tab. LXXXV., biga Lunae ſubſequatur. Equidem, ut Soli equos, ita Lunae mulos tributos fuiſſe, docet Pauſanias *Eliacor.* I. in tabulis Taurobolicis a duabus vaccis vehitur Luna. Frequentius tamen eidem Deae duo etiam equi tribuuntur. Manilius *loc. cit.* *Qua-*

Quadrijugis it Phoebus equis , it Delia bigis .

Ovidius ,

Altaque nocturnos Luna regebat equos .

Nec a Latinis Poetis tantum ; verum etiam a Graecis. Homerus *in hymn.*

Quando ab Oceano loto corpore pulchro
Veſtes induta procul lucentes divina Luna ,
Junctiſque equis longae cervicis fulgidis
Impetuoſe prius agitat pulchricomos equos
Veſpertina .

Inde φιλιππης *equorum amans* appellatur ab Orpheo *in ejus hymno .*

XCIII.

DIANA GLOBO INSISTENS.

FOrtaſſe Diana Lucina hic repraeſentatur ; fax enim quam manu attollit *novilunii virtutem ſignificabat , & novilunio vis quaedam ineſt , quae pariendo facultatem afferat ,* ait Euſebius *de Praepar. Evang.* lib. III. c. 3. Eam vero facem ex picea in Olympo ſectam de Jovis fulmine Dianam accendiſſe , fingit Callimachus *in hymn.* v. 118.

At vero Dianae ne , an Junoni Lucinae cognomen tribuendum ſit , difficile eſt definire ; utrique enim a vetuſtis Scriptoribus tributum legimus , quos tamen facile conciliabimus , ſi Junonem , & Dianam unam eamdemque Deam fuiſſe evincamus ; rem docent graviſſima Veterum teſtimonia . Catullus *Carm. Saecul. ad Dianam .*

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis ,
Tu potens Trivia , & notho es
Dicta lumine Luna .

Varro *de Ling. Lat.* lib. IV. *Luna . . . . videtur a Latinis Juno Lucina dicta . . . facta igitur a juvando , & luce Juno Lucina , a quo parientes eam invocant .* Macrobius *Saturnal.* lib. I. c. 15. *Quum enim initium menſium majo-*

res

res noſtri ab exortu Lunae ſervaverint, jure Junoni Kalendas addixerunt, Lunam, & Junonem eamdem putantes.

Quae vero huc uſque deduximus, ab ipſorum nominum notione confirmari videntur. Juno enim, & Jana, ſicuti Veteres illam dixerunt, haud inepte derivatur a radice יה *Jah*, quae Dominum ſignificat, unde Jani etiam nomen dimanaſſe ſupra not. IV. conjecimus. At ab eodem Hebraico fonte Lunae etiam Graecum nomen ειλειθυα derivandum exiſtimo; licet enim nonnulli ab ειλη *Solis ſplendore* illud deducant, atque alii ab ειλεω *abſcondo*, unde Perdrierius in verſione hymni Orphei Αρτεμις ειλειθυα tranſtulit *Diana Abſconſa*, ab אל *Hel*, *fortis Deus* accerſendum mihi videtur, adjecta particula *it*, quae ex maſculino femininum facit אלית *fortis Dea*.

XCIV.

DIANA ΦΩΣΦΟΡΟΣ.

ITa appellatur a Dionyſio Halicarnaſſenſi *Ant. Rom.* lib. IV. Diana lucem ferens, quem quidem titulum potiſſimo jure imagini huic a nobis adſignari nemo ibit inficias; geminam enim facem Diana praefert, qua ſe coeleſte ſimul, ac terreſtre Numen profitetur; vel, ſi mavis, ſuam in utroque hemiſpherio poteſtatem oſtendit. Neque tamen Dianam duas manibus faces tenentem nunc primum producimus; nam plura ejus ſimulacra tali habitu efformata deſcribit Pauſanias lib. VIII., & IX., atque ita expreſſa eſt in Regio maximi moduli numiſmate apud Monfoc. *Suppl. Ant. expl.* Tom. I. tab. XLII. n. 7. Veteres etiam Piſaurenſes eodem habitu illam dedicarunt, ut diſcimus ex aeneo ſigillo inter Luci Sacri Veterum Piſaurenſium reliquias reperto, quod lectiſſimum Oliverii noſtri Muſaeum illuſtrat. Caprina pelle, *nebridem* vocant, Diana ſuperinduta eſt; Pauſanias lib. VIII. aliam ejuſdem Deae imaginem ſimili pelle amictam deſcribit.

XCV.

XCV.

GENIUS DIANAE LUCIFERAE.

GEnium Dianae Luciferae hac Lucerna repraeſentari diximus, quem tamen Solis Genium eſſe poſſe haud negamus, ſive Phoſphorum, ſive ipſum Aether, quod ab Orpheo appellatur *ignem ſpirans*, *omnibus viventibus fax alte apparens . . . . ferens ſplendorem . . . . . aſtris fulgorem praebens*. Equidem Callimachus *in hymno Dianae* illi non Herotes, ſive Genios, ſed Ἡρωΐδας attribuit, quas Dianam LX. numero, omneſque novem annis natas nutu Jovis ex Oceano ſumpſiſſe fabulatur. Graeci quippe, ut alias innuimus, libentius Genias, ſive Heroidas, quam Herotes, ſive Genios Deabus adſignarunt.

XCVI.

DIANA VENATRIX.

DIanam Venatricem multis deſcribit Homerus *in ejus hymno*, pluribus vero Callimachus, qui venaticos canes in Maenalo a Pane dono illi datos fabulatur; unde *canibus gaudens* ab utroque Poeta ſaepius appellatur. Lucernarum, quae in hac tabula exhibentur, anaglypha illuſtrare voluiſſe Ovidius videtur, quum cecinit.

Talia ſuccinctae pinguntur crura Dianae,
Quum ſequitur fortes fortior ipſa feras.

Fortis autem ab Ovidio dicitur Diana, eadem, niſi valde fallor, ſignificatione, qua *Cococca* apud Graecos appellabatur. Pauſanias Eliacor. I. *Quamobrem vero Cococcam Dianam appellent, nunquam adhuc ut diſcerem mihi contigit*. Porro *Cococcae* adpellatio ab Hebraeo כחה *chochba fortis* deducenda eſſe videtur.

XCVII.

HECATES CANDELABRUM.

MUlta ad hanc Lucernam illuſtrandam ſuppeditaret nobis ſuperioris diſci Inſcriptio, cujus reliquiae adhuc ſuperſunt, niſi miſere illa excidiſſet. Caeterum tres Dianae, coeleſtis, terreſtris, atque infera hic repraeſentantur, poſtrema hac in antica lychnuchi parte adſtante, ut totum ſphragiſma inferorum ſacris addictum fuiſſe cognoſcamus.

Coeleſtis peplo obvoluta, longa veſte praecincta, ab Heſiodo deſcribitur:

Erecta habens longam veſtem, in rotundum currens.

at Venatrix alte ſuccincta eſt, ut ex Ovidio Dianam pingi ſupra didicimus; id enim a Jove recens nata petierat;

Da mihi ut lucem feram, & ad genua uſque tunicam
Succingam fimbriatam, quando agreſtes feras perimo.

ut ait Callimachus. Media imago Hecaten repraeſentat, quae, quum femineam naturae vim, ut Pluto maſculam, ſignificaret, clavem gerit, qua principium, & rerum nativitas indicatur. Ita ab Orpheo Luna, quam *hymno primo portis adſtantem* vocat, *clavigera* appellatur; reſtis vero, quem ſiniſtra obvolutum tenet, fortaſſe Parcarum ſtamen eſt; utrumque ſymbolum gerit Diana in ſimulacris triformibus Chiſio, & Capitolino, a Cauſſeo vulgatis, quibus quantum lucis afferat Lucerna noſtra, nemo non videt.

XCVIII.

DIANA EPHESIA.

DIana Epheſia nihil apud Antiquos aliud fuit, niſi ipſa rerum natura in ſublunaria corpora vim ſuam exercens; proinde Dearum fere omnium officium vel ipſa ſola complectebatur. Plutarch. *de Iſid. & Oſir. Ideo, & Lunam Mundi matrem appellant, & naturam ex utroque*

mixtam ſexu adſignant ei , quod impleta , & gravida facta a Sole rurſum a ſe in aerem emittat , ac diſſeminat genitabilia principia . Quamobrem mammoſum illi corpus tribuerunt , illudque numeroſa onerarunt animalium ſupellectile , in quae ſuam potiori jure vim exercere Luna creditur , ſive terreſtria ea ſint , ſive aquatilia , ſive etiam volatilia . Verum a doctiſſimis Viris ita hoc argumentum pertractatum eſt , ut nihil profecto nobis ſuperſit adjiciendum .

X C I X.

C A P U T   B O V I S.

LUcernae taurinum caput referentes vulgatae jamdiu fuerunt ab eruditis Viris Fabretto , & Boldetto ; eaſdem in Muſaeo noſtro aſſervamus , nec tamen edidimus , ne quid iterum vulgatum obtrudamus . Non una de cauſſa Lucernam ſuam Dianae ſacram fuiſſe exiſtimavit Fabrettus ; verum jam non eſt amplius conjecturis utendum , poſtquam Lucernam hanc Graeca Inſcriptione inſignem producimus . Licet autem ea Graeca Inſcriptione , ut diximus , ſignata ſit , non proinde ex Graecia advectam eſſe cenſere debemus ; ipſa enim argilla Romanam eſſe clamat , & Graecos artifices Romae etiam, dum operarentur , graecizaſſe , nemo eſt qui neſciat .

Bovis cornua Lunae gratiſſima fuiſſe , ſcribit Orpheus *in hymno Dianae* . Lunae bigam boves agunt in tabulis Mithriacis , & in nummo Caracallae apud Patinum ; idcirco a Svida , & a Nonno *Dionyſ.* lib. VIII. appellatur ταυροβολος *boum agitatrix* ; imo Hecate , quae Luna eſt , Tauri nomine fuit appellata ; inquit Porphirius *de Abſtin.* lib. III. c. 17.

Sacrae infulae , & bullae , quibus Tauri caput ornatur , bucranium illud fortaſſe repraeſentari ſuadent , quod & mole , & augurii dignitate per multas aetates in veſtibulo templi Dianae ſuſpenſum fuit ; rem narrat Livius lib. I.

C.

C.

MERCURIUS.

HAec Mercurii protomes alis non petaſo, ſed capiti haerentibus, inſignis eſt; quod tamen exemplo non caret; plura etenim ſuperſunt vetera monumenta, in quibus Mercurius ita expreſſus eſt apud Monfocon. *Ant. Expl.* Tom. 1. tab. 68., neque vero absque ratione factum id eſt; illis enim Aegyptii ſignificare voluerunt, nil aliud eſſe Mercurium, niſi vim intellectus, & mentis alacritatem, ut tradit Macrobius *Saturn.* lib. 1. c. 19.

C I.

GENII MERCURIALES.

MErcuriales Genios pueriliter ludentes ex ebore antiquo vulgavit Bonarotius. Nuſquam alibi, ni fallor, Mercuriales Genii obſervati ſunt; hinc licet intelligere, quanto in pretio habenda ſit inſignis haec patera, in qua per Geniolos Mercuriales ſacra pompa in illius Numinis honorem repraeſentatur.

Pateram noſtram ſacro uſui addictam fuiſſe patet; quum autem tot hominum genera ſacra Mercurio facerent, quibus in ſacrificiis adhibita ea fuerit, difficile eſt conſtituere. Verum frequentiora, imo diurna, ac penitus familiaria ſacrificia illa erant, quae Mercurio omnes ferme, antequam cubitum irent, faciebant. Homerus *Odyſſ.* H. v. 135.

Invenit autem Phaeacum duces, atque conſiliarios
Libantes poculis ſpeculatori Mercurio,
Cui ultimo libabant, quando cogitabant de lecto.

Mercurius enim ſomni praeſes habebatur. Orpheus *in ejus hymno*

Sacra virga, virga demulces ſomnum.

& Virgilius *Aeneid.* IV.

Dat Somnos, adimitque:

Placuit autem pateram noſtram domeſtico huic, & familiari officio potius adſcribere, quam publico, & ſolenni; fictilis enim ea eſt, cujuſmodi in privatis ſacrificiis, quae intra domorum parietes obiri ſolebant, plerumque adhibebantur. Hinc Tibullus lib. I. el. I.

Adſitis Divi, nec vos e paupere menſa
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.

CII.

MERCURIUS CUM CANE, ET CAPRO.

ADſurgenti Mercurio, & quodammodo ab Inferis revertenti adſtat hinc caper, inde vero canis. Caprum ejus ſimulacro ideo adjunctum narrat Pauſan. lib. I. *quad unus prae caeteris Mercurius greges tueri, & augere exiſtimatur*. Hinc quandoque *Criophorus* dictus eſt, quod arietem humeris ſuſtineret, atque, ut notat idem Pauſanias lib. IX., circulato ea forma per civitatum ambitus ariete, peſtilentia inde averſa ſit. Hujus etiam bruti forma occultatum Mercurium fama eſt Penelopen compreſſiſſe, ex quo congreſſu Pan natus eſt; ideoque lyram pedibus continet, quod ſub ejus imagine Mercurius ipſe repraeſentetur, cujus praeclarum inventum lyra fuit, ut narrat Homer. *in ejus hymno*.

Canis apprime Mercurio convenit, uti Paſtorum Deo. Tradit item Homerus ab Apolline *et canes, & oves*, fuiſſe illi dono datos, & Aegyptiis monumentis edocemur, Mercurium in canem converſum cuſtodem corporis fuiſſe Iſidis, & Oſiridis; unde apud eam gentem canino capite cultus eſt, atque *Anubis* nuncupatus.

CIII.

CIII.

MERCURIUS NEGOTIATOR.

PLacuit hoc cognomine hanc Mercurii imaginem deſignare, quod crumena inſignitus ſit; ita quippe illum vocat marmor antiquum.

MERCURIO NEGOTIATORI SACRUM.
NUMISIUS ALBINUS EX VOTO.

Mercatoribus quippe praeſidere putabatur; inde Homerus *hymno in Veſtam* eum appellat *Datorem bonorum;* ejusque domum *bonis omnibus plenam* dicit *hymno Mercur.*

CIV. CV.

MERCURIUS, ET APOLLO.

MERCURII SYMBOLA.

S*Uccedit communis ara Apollinis, & Mercurii ob eam praeciſe cauſſam, quod lyrae inventum Mercurio, citharae Apollini, Graecorum ſermo attribuit.* Quod Pauſanias Eliacorum I. de ara dixit, Lucernae huic noſtrae attribuemus. Imo in hac inſuper lucerna ipſa lyrae commutatio exprimitur; ut enim narrat Apollod. *Bibl.* l. III. lyram Mercurius Apollini tribuit, pro qua raptos boves ei condonavit, rurſumque pro fiſtula, quam ille invenerat, auream virgam permutavit, ut fuſius narrat Homer. *in eorum Hymnis*.

Agmen claudant Mercurii ſymbola, petaſus, pera, caduceum; quae omnia ſatis vulgata.

OPE-

OPERIS PARERGA

I.

UT parerga hujus operis venuſtati, & eruditioni deſervirent, placuit gemmis quibuſdam mei Muſaei exornari.

Genius publicus ſardae inciſus initialem epiſtolae literam exornat. Modio, & copiae cornu inſignitur, qualem inferioris aevi nummi genium Populi Romani repraeſentant, niſi quod ibi ſacrificantis more pateram profert, hic praeſtitis ſpecie poma porrigit, quod mirum videri non debet; *Solebant enim Veteres Geniis ſymbola illius ſeu Perſonae, ſeu loci, cui Genius famulabatur, ſeu praeſidebat, ut plurimum addere*, ut ait doctiſſimus Oliverius *Marmor. Piſaur. pag.* 9.

II.

INitialis prolegomenorum litera apologum Aeſopi ſardae inciſum profert, de quo mentionem fecimus in nota LXVIII. In eo Vulpecula lignarium redarguit, quod ab illo minus fideliter defenſa fuiſſet; dum enim Venator eam inſequeretur, voce quidem ille negaverat Vulpem ſibi occurriſſe, ſed geſtu prodiderat latitantem, nempe factis minime reſpondentibus verbo. Res ſatis vulgaris eſt.

III.

PRolegomenis gemmas tres praefiximus, in quorum prima Vir armatus ſardae inciſus eſt, eo prorſus habitu, quo *Virtus* in nummis plerunque repraeſentatur. Res ſane notatu digna eſt, Numen iſtud quandoque viri ſpecie fuiſſe effictum, ut habent nummi Vitelli, Galbae, Trajani, & Hadriani; frequenter etiam mulieris Amazonico cultu armatae, qualis eſt in nummis Domitiani, Hadriani, aliorumque etiam Imperatorum. Haec ſexus differentia fortaſſe pendet ab ea doctrina, qua Deos

eſſe

eſſe utriuſque ſexus, ſeu potius neutrius crederent, uti indicavimus in nota I., niſi potius credamus typos illos, quibus *Virtutis* titulus praefixus eſt, aliquid aliud ab hoc Numine longe diverſum indicare; ejus enim imago, qua femina effingitur, eadem prorſus eſt, qua Roma, & Italia figurari ſolebat, ut in nummo Vitellii, in quo effigies *Romae* ſtantis eadem eſt ac *Virtutis* in altero Commodi; ſic Roma ſedens in nummo Septimii Severi *Virtus Auguſtorum* inſcribitur. Quum vero virili habitu, ut in hac gemma, *Virtus* exprimitur, non obſcure Romanos Imperatores repraeſentat, quaſi ipſi ſibi Numen iſtud praeſtarent, nam, ut ait Prudentius contra *Simac.* lib. II.

...... ſua dextera cuique eſt
Et Deus omnipotens.

quod clariſſime evincunt nummi Probi, cujus armato capiti epigraphes adjecta eſt *Virtus Probi Aug.* quae *Virtus Auguſti* in ſequioris aevi numiſmatibus aliquando ſub Martis gradientis ſpecie, quandoque & Herculis leonem conficientis exprimitur. Imperatores Deorum vultu effingi ſolenne erat. Mitto exempla vulgata, uno tantum contentus anaglypho Ravennate, quod in Coenobio D. Vitalis elapſa hyeme miratus ſum. Jovi aſſidenti adſtat Caeſar habitu genii ſacrificantis ſtellam in fronte exciſam oſtentans, quo inſigni charactere ſimulacra ejus decorari conſueviſſe ait Sveton. in *Caeſ.* cap. 88. *Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, creditumque eſt animam eſſe Caeſaris in Coelum recepti, & hac de cauſſa ſimulacro ejus in vertice additur ſtella*. Infra Auguſtus ſceptro ſubnixus globum pede calcat. Adſtat Livia Venerem ſimulans advolante circa ſiniſtrum humerum alato geniolo ſive cupidine, qui tamen pene diffractus eſt, ac fortaſſe Marcellum referebat.

Medium locum obtinet Victoria ſedens. Haec aliquando gradientis effigie expreſſa eſt quaſi ad *alia pergentis*, ut ait Patinus, quandoque ſtantis, veluti ſui perpetuitatem pollicentis; ſedentis denique, qua ſe populo familiarem, atque jam domeſticam profitetur. Clypeo inſcribit vel vota publica, vel Caeſarum nomina, cujuſmodi in Capitolio, Baſilicis, atque Templis fuiſſe plurimos,

mos, teſtatur apud Romanos Plin. lib. xxxv. c. 3. apud Graecos vero Pauſanias frequentiſſime. Mirum ſane eſt aboleta jam penitus Idolorum ſuperſtitione unam Victoriam obſtinate duraſſe, omniumque ultimam maximo labore eradicatam. Hujus rei praeclarum teſtimonium habemus in D. Ambroſii libello *de Ara Victoriae non reſtituenda*, ejuſque cultum periiſſe primum omnium dolet Symmachus in ejus relatione ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium, nec chathecumenus Conſtantinus illius ſimulacrum in Conſtantinopolitana Baſilica dedicare dubitavit, cui Julianum ſacrificaſſe refert Socrates lib. III. cap. 2., & Nicephor. lib. x. cap. 20. Chriſtianorum quoque Caeſarum nummi Crucem, & Chriſti ſervatoris Monogramma Victoriae typo frequentiſſime addiderunt, nec deſunt anaglypha in Chriſtianorum ſarcophagis, in quibus indubitata Victoriae imago ſcripturae ſymbolis interjecta eſt, nondum penitus errore expurgato, quum, ut ait Simmac. *loc. cit. Nemo colendam negabat, quam profiteretur optandam.*

Poſtremus Victoriae typus jaſpidi inſculptus ad ſacra certamina pertinet, quod duplici indicio ſuſpicari licet, ſceptri nempe, quod Agonothetae inſigne erat, & phialae, quam manu porrigit, ſolenne praemium Hyeronicarum. Ita Pindarus *Olimp.* IX. *ſtroph.* 4.

Apud Marathonem
Egreſſus pubertatem
Suſtinebat certamen ſeniorum
De argenteis phialis.

& *Nem.* IX. in fin.

Argenteis phialis
Circumagat violentum
Filium vitis, quas quondam equae
Acquiſiverunt Chromio,
Et miſerunt ex ſacra Sycione.

FINIS.

INDEX RERUM.

Littera P numeris Romanis praepoſita Prolegomenorum § indicat ; Numeri vero Arithmetici Notas ſignificant .

A

Academiae Piſaurenſis Symbolum Noctua Galeae inſidens . 65.
Acroſtolia navium Victoriae navalis ſignum . 45.
Acus emunctorius Lucernarum ejuſque anſa . P. VI.
Aegyptiae cretae color . P. X.
Aeſopi fabellae in veterum monumentis . 69.
Aetas artis Lucernariae . P. XII.
Agri Romani argilla . P. X.
Agrippa M. in Lucerna Martis habitu . 89.
Alae Diis familiares , earumque ſignificatio . 2. 100.
Amun Aegyptiis quid . 31.
Anaglyphum Ravennae in Coenobio D. Vitalis eximium . P. 3.
Anni novi auſpicia . 5.
Anni tempora quomodo expreſſa . 11. *Eorum diviſio , & Symbola .* Ibid.
Animae defunctorum in Caelum elatae , earumque Symbolum . 23. 26.
Anſae Lucernarum earum forma , & ornamenta . P. VI.
Apollo Actiacus . 71. *Arcitenens .* 71. *Cytharoedus .* 70. 73. 74. *Delphinius .* 88. *Hyſtrio .* 76. *Tunicatus .* 84.
Apollinis arma columnae ſuſpenſa . 75. *Corona antiquior laurus , recentior , & peregrina radiata .* 83.
Apotheoſis ſymbola in Lucernis obvia , & cur . 16.
Aqua , & ignis in nuptiis . 38.
Aquila a Jovis Geniis paſta . 34. *Adorata .* 27. *Inter ſigna militiae prima .* Ibid.
Arae Deorum in Theatro . 76.
Arae plures uni Deo in eodem Sacrificio . 2.
Arbores Lucernis onerari ſolitae . P. XIV.
Architecturae forma corrupta . 29.
Aretina creta , ejuſque color . P. X.
Argillae nigrae examen . P. X.
Aries Minervae aram impetens . 68. *Cur Atydi , & Soli attributus .* 17.
Arimanius Perſarum Deus . 90.
Arionis Delphinus . 5.
Armata Veſtalis Sacrificans . 13.
Aſtrum Solis typus . 91.
Atys quid . 17. 18. 19. *Verſus in Pinum .* 18.
Atramentum encauſticum Etruſcorum . P. X.
Augurales Lucernae , & eorum typi P. XIII.
Augurum Collegium Piſauri . P. XIII.

B

Bacchus Cereri junctus . 22.
Bacchanalia ad lycnos haberi ſolita . P. XIII.
Bartolus Santes Calchographus ejuſque ſtilus examinatus . P. II. 6.
Bellaria anno novo miſſitari ſolita . 6.
Biga Lunae ab equis , & Vaccis acta . 92.
Bovis caput Dianae ſacer . 99.

C

Calathus Cereris . 20.
Candela quid . P. IV. *ejus antiquitas .* P. V. P. VI.
Candelabrum quid . P. VII. *ejus elatior pars ſcutella .* P. VII. *In uſu ſacro tantum .* P. XV. *Quum in uſu profano eſſet Lycnuchus vocabatur .* P. XV.
Candelabra Apollinis . 69. *Cereris .* 22. *Hecathes .* 97.
Canis Jovi attributus . 30. *Mercurio .* 102.
Cantharos Pharos Lucernae . P. XV.
Caper Marinus . 48. *Mercurio ſacer .* 102.
Ceres Baccho ſociata . 22. *Ejus calathus .* 20. *Ejus Lucernae .* 20. 21. 22. *Ejus Symbola , & corona ſpicea .* 20.
Cerni Lucernarum . P. VII.
Chaos Deus , Primogenitus . 4.
Ciſta miſtica . 20. 21. 63.
Cybeles Lucernae . 16. 17. 18. 19. *Eadem Tellus .* 16. *Rerum creatarum prima .* Ibid. *Eadem ac Materia primigenia .* Ibid. *Quo ſenſu tellus ante Caelum extitiſſe dicatur .* Ib.
Cycindela quid . P. VI.
Caeli imago , ejuſque Symbola primum prodita . 7.
Coemptio in nuptiis quid . 38.
Comaedia . 76.
Conchae , & earum ſignificatio . 51.
Corona in ſinu Jovis . 28. *Poetarum .* 78. *Spicea .* 20. *Ex Lauro .* 83. *Radiata .* Ibid.
Cornucopiae Cereris . 21.
Crater Lucernae quid . P. VI.
Cretae examinantur Aretina , Cumana , Aegyptia , Peruſina , Piſaurenſis , Romana , Urbevetana . P. X.

D

Dacica trophaea . 26.
Dali quid . P. XIII.
Daps quid , ejuſque faciendae ritus . 31.

Delphines Neptuno Sacri. 42. *Apolini*. 88. *Delphinus Arionis*. 50. *Delphinus Machina militaris*. 45.
Delubrum unde dictum. P. XIII.
Dendrophori. 17.
Deus Maximus, *ejuſque inſcriptio*. 1.
Diana cum Junone confuſa. 93. *Caeleſtis*, *Terreſtris*, & *Infera*, *ejuſque ſymbola*. 97. *Cococca*. Ibid. *Ephesia*, *ejuſque ſymbola*. 98. *Phoſphoros*. 94. *Venatrix*. 69. *ejuſque canes*. Ibid.
Diei apud Graecos diviſio. 75. *ejus ſpatia totidem lycnis expreſſa*. 83.
Digitus ori admotus praecantum geſtus 1.
Dii Mares, & *Feminae*. 2. *Sacrificantum geſtu effecti*. 1. 2. 17. 19. 90.
Diſcus Lucernae quid P. VI. *Ejuſque ornamenta*. Ibid.
Domitiani Aug. officinae Lucernariae. P. VII.
Dotis ſymbolum Aſſis. 38.
Dracones Cereris. 20. 21.

E

Ellychnium Lucernarum quid. P. VI.
Ennoſigaeus Neptunus. 42
Ethimon Candelae. P. V. *Cerni* P. VII. *Cococcae Dianae*. 96. *Delubri*. P. XIII. *Dianae* 93. *Fani*. P. XIII. *Horarum*. 75. *Jani*. 4. *Ilithyiae*. 93. *Lampadis*. P. V. *Laternae*. P. VII. *Lucernae*. P. V. *Lycni*. P. IV. *Monetae*. 41. Papilo. P. VI. *Pegaſi*. 80. *Sabazii*. 24. *Septimanae*. 15. *Stilbon*. P. VII.
Etruſci Lucernas quando habuerint. P. IV. P. XVI.
Eugubii ſepulcretum. P. XVI.

F

Fanum unde dictum. P. XIII.
Far in nuptiis Veterum. 37.
Farſetti Mapphaei Archiepiſcopi Ravennatis laudes. 30.
Ferula in Jani capite. 4.
Figulorum ſigillatorum officium P. VIII. P. XI.

G

Ganymedes in Lucerna. 18.
Gemini zodiaci ſignum in Lucerna. 85. *Equi illis tributi*. Ibid.
Genii Urbium Victoriarum ſpecie. 6. *Romanorum puerili facie*, *Graecorum*, & *Thuſcorum muliebri*. 11. *Publicus cum Pomis Parergh*. 1. *Geniae Dianae*. 95.
Genii Deorum varii in Lucernis expreſſi Apollinis. 77. *Dianae Luciferae*. 95. *Jovis*. 34. *Mercurii*. 101. *Minervae*, 67. *Muſarum*. 82. *Neptuni*. 46.
Ginannus Petrus Paullus Monacus Caſinenſis Ravennas doctiſſimus, & *humaniſſimus* 30.
Gryphes Apollini Sacri. 79. *In Sepulcris veterum frequentes*. Ibid.

H

Hecathes candelabrum. 97.
Hercules Azonius Tuderti cultus. P. XIII.
Horae anni tempora. 11. *Earum numerus Ethimon*, *Symbola*, & *fructus*. Ibid.
Horarum origo. 11. 75.
Hymenaeus. 38.

I

Januae illuminatae. 6.
Jani in capite ferula. 4. *Ejus nominis ethimon*. 4. *Ejus ſimulacra Piſauri*. Ibid.
Janus Deus Primigenius. 4. *Deus Aegyptius*. Ibid.
Imagines Deorum in Sepulcris. P. XIII.
Imperatores Deorum ſpecie effecti. P. III.
Infundibulum Lucernarum. P. VI.
Joles in Bartoli Lucerna male pro Somni ſimulacro explicata. 8.
Jovannellius Andreas Presbyter Tudertinus memoratur. P. XVI. 1. 80.
Itali Lucernas quando habuerint. P. IV.
Julia Aug. Veneris ſpecie. 89.
Juno, & *Minerva cum Jove Capitolino*. 29. *Juno Jugalis*. 37. *Lucina*. 39. *Moneta*. 41.
Jupiter bonorum largitor. 3. *Ejus caput*. 22. *Corona quercea*. Ibid. *Barba pexa*. Ibid. *Laurea in ejus ſinu*. 28. *Ab aquila elatus*. 25. 26. *Apotheoſis ſimbolum*. Ibid. *Triumphat de Gygantibus*. Ibid. *Ejus templum*. 29. *Sacrificans*. 34.
Jupiter Capitolinus. 28. *Cuſtos*, & *ejus imago*. 30. *Altera marmorea Ravennae*. Ibid. *Dapalis*, & *ejus imago*. 31. *Hammon*, & *ejus fabula*. 32. *Serenus*, & *ejus imago nunc primum prodita*. 33. *Inſcriptio Jovis Sereni Piſauri recens effoſſa*. Ibid.
Juvara Philippus Architectus eximius Auctoris hujus operis magiſter. 29.

L

Lampas forte Lucerna major. P. XV. *Unde dicta*. P. V. *pro face*, & *Lucerna uſurpata*. Ibid.
Lampon Sol a luce dictus. P. V.
Lamptiria & *lampadoforia feſta*. P. XIII.
Lares Permarini. 46. *Lares*, & *Genii quandoque iidem*. Ibid.
Lararia Domeſtica. 56. *In iis Omnes Dii admiſſi*. 56.
Laterna ejus materia, & *ethimon*. P. V. P. VII. *Laterna fictilis reperta in Sepulcro C. Ceſtii*. Ibid. *Laterna auguralis*, & *ejus figura*. P. XIII.
Laurea in ſinu Jovis. 28.
Laurus Apollini Sacer. 78.
Lecti Deorum, & *eorum forma*. 77.
Limbus Lucernarum, & *ejus ornamenta*. P. VI.
Lothos Cereri tributa. 22.

Lu-

Lucernae Diis accendi ſolitae. Baccho. 13. *Cereri.* 22. *Jano.* 5. *Jovi.* 24. *Laribus.* 13. & 16. *Deae Nocti.* 8. *Saturno.* 10. *Diis fere omnibus.* P. XIII.
Lucernarum typi iidem in variis officinis. 6. *Scitiſſime elaborator.* 8. *Earum antiquior forma.* P. VIII. P. XII. *Illarum materia fuſilis, coctilis, ſcalptilis, metalla, marmora, argilla, vitrum.* P. X. *In ſepulcris antiquioribus nullae.* P. X. *Cur ornari caeptae.* P. XI. *Ab earum ſymbolis, & artificio aetas illarum cognoſcitur.* P. XII. *Earum quadruplex uſus.* P. XIII., & *ſeq. Illarum ingens copia.* P. XIV. *loco ſacri ignis adhibitae.* P. XIII. *Illarum Fictores inter officia Domus Auguſtae.* P. XIV. *omnia ornamenta illis comunia.* 15. *Mobiles, penſiles, ſtabiles, ſeu candelabra.* P. XV. *Lucerna fictilis omnium maxima in Muſeo Arditio* P. XV. *Lucernae Meretriciae* P. XV. *Lucernarum in ſacris ratio.* P. XV. P. XVI. *Cur Sepulcris inlatae.* P. XVI. *Sepulcro ſemel illatae nunquam amovebantur.* P. XVI. *Fictiles etiam in optimatum ſepulcris.* P. XVI. *Uſus Lucernarum a ſymbolis minime deduci poteſt.* P. XVI. *Collectaneae illarum editae, & de eis judicium.* P. II. *Origo illarum Fabuloſa.* P. III. *Tempore Noe extitiſſe creditur. Ibid. Ab Aegyptiis ad caeteros Populos propagatae ſunt. Ibid. In Italia quando in uſu fuerint.* P. IV. *Nomina illarum varia.* P. V.
Lucus unde dictus. P. XIII.
Luna ſilens ſymbolum Apotheoſis, & Aeternitatis. 91.
Lycni quot in Lucernis. P. XVI.
Lycnocautia Aegyptiorum. P. XIII.
Lycnucus quid. P. VII. *Unde dictus.* P. V.
Lyra in Lucerna. 78.

M

Manibus Lucernae loco ignis ſacri. P. XVI.
Maphaejus Scipio Vir ſummus laudatur. P. IV. 78.
M. Julii Philippi Conſulatus. III. *in Lucerna.* 29.
Marmora Piſaurenſia a Cl. Oliverio illuſtrata. P. I.
Materia Lucernarum univerſa expenditur. P. X.
Matronalia in Lucerna repraeſentata. 39.
Meduſa in Lucerna. 66.
Meniſcus Jano attributus. 4.
Menſis in hebdomadas partitus. 15.
Mercurii alae non petaſo, ſed capiti additae. 100. *Genii illius.* 101. *ſymbola.* 105. *Mercurius negotiator.* 103. *Ejus cum Apolline de lyra diſceptatio.* 104.
Meſithes Mithra. 90.
Millenarium Urbis. 29.
Mithra quid. 90.
Moneta Juno unde dicta. 41.
Monetarum trium effigies. 41.
Millenarium Urbis. 29.
Minerva, & Juno cum Jove. 29.
Minervae capita. 52. 53. *Etruſco more a Romanis ficta* 52. *Tritonia.* 53. *Victoria.* 54. *Puerili aſpectu.* 55.
Mithra quid. 90.
Moneta Juno, & unde dicta. 41.
Monetarum effigies. 41.
Monſtra Marina, & eorum pugna. 49.
Moretum in ſacris Cybeles. 19.
Muſa. 81.
Muſarum ſigna columnae innixa, ita & Genii Muſarum. Ibid.
Myxus Lucernarum. P. VI.

N

Naſus Lucernarum quid. P. V. *cur ita dictus.* Ibid.
Neomaenia a Romanis celebrata. 91.
Neptunus imberbis. 42. *In nummis graecis Piſaurenſium. Ibid. Ejus quadriga, & Delphines.* Ibid.
Noctua Palladis. 65.
Nox Dea culta. 8. *ejus nativitas, filii, & ſymbola.* Ibid.
Nummi in Lucernis. 5.
Nummi veteres in praetio etiam apud antiquos. 6.
Nuptiae, eorumque ritus, Uſu, Farre, & Coemptione. 37.

O.

Obeliſcolycnus, & ejus forma. P. VII.
Oliverius Annibal de Abatibus, Patricius Piſaurenſis moribus, & doctrina conſpicuus memoratur. P. I.. P. VIII.. P. XIII.. not. II.. Par. I. & *alibi frequenter.*
Operculi Lucernarum. P. VII.
Orarium inter Cereris ornamenta. 22.
Orca, & ejus figura. 6.
Ornamenta cur in Lucernis introducta. P. XIV.
Oromaſdes Perſarum Deus. 90.
Oromazon. Ibid.
Oſſa monſtri marini Piſaurum delata. 80.

P.

Pallas trigemina. 56. *Urbium vaſtatrix.* 59. *Urbium ſervatrix. Ibid. Pacifera.* 60. *Conſiliaria.* 61. *Oplochares.* 62. *Ejus ciſta.* 63.
Palladii forma. 64. *quandoque veſtiri ſolitum.* Ibid.
Panthei origo, nomen, & natura 1.
Pantheae Deae ratio. 2.
Papyrus in Lucernis. P. VI.
Parentalia Lucernis celebrata. P. XVI.
Paterae Etruſcae in Sepulcris. P. X.
Pavo Junoni tributus. 40. *facile confunditur cum Veterum Chriſtianorum ſymbolo.* Ibid.

Pega-

Pegaſus, & ejus Fabellae 80.
Penſiles Lucernae. P. VI.
Peruſinae Lucernae. P. X. ejus loci argilla. Ibid.
Phoenicia Vaſa in Sepulcris Senoniae. P. X. illorum ignoti characteres. Ibid.
Phaeton ſol in ſacris ſamothracum. P. XIII.
Pharus Cantharus Lucerna. 5.
Phlogmus in Lucernis. P. VI.
Pinus in Cybeles Sacris. 18.
Piſaurenſes antiquitates memorantur. P. I. P. XIII. 4. 8. 10. 11. 15. 42. 94.
Piſaurenſis argillae examen. P. X.
Piſces votivi. 44.
Planetarum in Terram poteſtas. 5.
Primitiae Diis libatae. 20.
Primogenitus Deus. 4. 16.
Prototypi Lucernarum a quibus, & quomodo fabrefacti. P. VIII.

Q.

Quadrigae Neptuni. 42. Apollinis. 75. Earum ſignificatio. 85.
Quinquatria Minervae. 52.

R.

Religio Lucernarum unde originem duxerit. P. XVI.
Roma in ſolemniis tota illuminata. P. XIV.
Romanae cretae examen. P. X.
Rundula Antonius laudatus. P. I. & VIII.
Rubrica in Lucernis qua ratione indita. P. X.

S.

Sabazia ſacra. 24. Sabazius unde. Ibid.
Sacrificia Inferorum. 35. Ludorum ſaecularium. 36. Mercurii. 101. Matronalia. 39. Neptuni. 44.
Saturnus in Lucernis. 9. 10. Ejus ſymbola, & officia. Ibid.
Saturnaliorum Solemnia. Ibid.
Scutella elatior pars candelabri. P. VII.
Sceptrum Deorum, & ejus ſignificatio. 29. 30.
Scenae ſchema. 76.
Scylla monſtrum Latinis, Etruſcis, Graecis, & Phaeniciis notum. 47.
Senecae locus forte corruptus. 24.
Septimana unde dicta. 15.
Sepulcra Etruſca, Peruſina, Tudertina, Eugubina. P. XVI.
Sepulcralium Lucernarum ratio. P. XVI.
Servi cuſtodes Sepulcrorum. P. XVI.
Sigilla Lucernarum quo inſtrumento in Lucernis impreſſa. P. IX.
Simulacra Deorum fictilia. 56. Quandoque veſtiri ſolita. 64.
Solis motus proprius in Lucerna indicatus. 14. Ejus & Lunae in Terram poteſtas. 14. Aries cur illi attributus. 17. Ejus quadrigae. 75. & 85. Solis, & Lunae capita jugata. 88. Ejus, Martis, & Veneris capita. 89. Sol tunicatus. 84.
Sponſa ante focum privatorum larium. 13.
Stellarum magnitudo a radiorum numero diſtincta. 7.
Strenae etiam ex Lucernis dari ſolitae. 5. 6. Illarum ſymbola. 6.
Stuppa in Lucernis. P. VI.
Stylba quid. P. VII. & XIII.
Subſcriptiones Lucernarum, earum ratio, & ſignificatio. P. IX.
Summis pedibus ſtantes Deos adorabant Veteres. 1.

T.

Taras Urbis nomen, non Dei. 42.
Taurus Caeleſtis. 84.
Tedae Cereris 20.
Tegulae antiquiſſimis characteribus ſcriptae. P. VI.
Tellus Dea. 4. 7.
Templum Jovis Capitolini. 29.
Templa Deorum fideliter a Sculptoribus expreſſa. 29.
Terra communis omnibus Diis. 14.
Teſta pro Lucerna. P. X.
Tindarus Plotinae Aug. libertus figulus. 31.
Tragaedia quomodo expreſſa in anaglipho. 76.
Triallis quid. P. VI.
Tridens Neptuni. 44.
Triton pugnans. 43.
Triallis in Lucernis quid. P. VI.
Tripus Apollinis. 75. 78.
Trophaeum Dacicum. 26. Piſcatorium. 44. Navale. 45.
Tudertinae antiquitates. P. VII. P. XIII. P. XVI. 1. 80.
Tutela Navis, Tutela Ruris. 33.
Typi Lucernarum a quibus fabrefacti. P. VIII.
Typi Vitrei ad aedes, & Theatra ornanda. 76.
Typographica ars a Romanis inventa. P. IX.

V.

Veſta quid 12. quotuplex. Ibid.
Veſtalis ſacrificans. 13.
Veſtitores ſimulacrorum. 74.
Victoria multifariam picta. P. 3. Sedens Genium urbis repraeſentat. Ibid. Circenſis quomodo picta. Ibid.
Virtus Auguſtorum quomodo expreſſa. Ibid.
Vitrea opera quo artificio elaborata. 1. 5.
Urbevetanae argillae nigrae inquiſitio. P. X.
Uſus in Nuptiis quid. 37.
Vulpecula, & Lignarius. P. 2.

coll. & compl.
105 plates + portrait